BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXV
C
27
NAPOLI

XXV
c
27

Digitized by Google

Digitized by Google

Google

Digitized by Google

ETHICA EPISTOLARIS

SEU

EPISTOLAE MORALES

Ad uſum familiarem

VARIO ARGVMENTO SCRIPTÆ.

AVTHORE

P. MICHAËLE PEXENfelder, Soc. Jesu.

Cum Gratia & Privil. Sac. Caſ. Majeſtatis. Et facultate Superiorum.

IHS

DILINGÆ,

Typis & Sumpt. Joan. Caspari Bencard, Bibliopolæ Academici.
Per Joannem Federle.

M. DC. LXXXVI.

BIBLIOTECA NAZIONALE V. EMANUELE III

REVERENDISSIMIS
ILLUSTRISSIMIS
Prænobilibus & Strenuis

DOMINIS DOMINIS

Statuum Provincialium
Bavariæ Inferioris

COMMISSARIIS
DEPUTATIS

DOMINIS SUIS
GRATIOSISSIMIS,

PATRONIS OBSERVANDISSIMIS.

SCribendi genus nullum, quàm Epiſtolarum, æſtimatione promptius, aut facilius, uſu ipſo & expe-

rientiâ difficilius nullum, minúſque expeditum. Bibliothecas inſpicies, Auctorum illuſtrium cenſu in Facultatibus cæteris copiáque denſatas; Epiſtolarum Scriptores priſci ævi, vix in Vaticana Leonis Decimi, vel Ferdinandi Tertii in Vienneſi, præter Ciceronem repereris, Pliniúmque, ac Senecam. Nec ultra Triumviros hoſce perrexit Epiſtolaris Romanorum, quaſi ad Triarios redacta Reſpublica, Geniúſque, quem Tullius hæredibus tranſcripſit, plana, nativáque dictione fluentem, floridiore nitore Plinius politum, ſententiarum pondere inciſíſque periodis Seneca cothurnatum. Quibus è theatro ſublatis, quis intra annos plus mille eminuit, qui de tribus unius premeret calamo felici veſtigia? Unus ferè

rè laureatus Petrarcha, geminíque Manutii, pater & filius, auſi ſunt poſt multa demum ſæcula virgultis obſitum expurgare Tuſculanum, Tulliúmque, cum Attico ſuo ac Familiaribus, notas in ſedes revocare litteris excultiſſimis. Quorum exemplum Nigronius æmulari & Muretus, eruditiſſimus Lipſius, alíique perpauci, concinnitatem aſſecuti non ſunt, viri licèt in quavis alia Minervæ palæſtra dexterrimi. Ardui uſque eò laboris eſt, Epiſtolas condere delicato Lectori placituras. Quæ nimirum cauſa extitit, Auctor ut noſter in annos vitæ poſtremos craſtinaret, quas mente dudum volvebat, Epiſtolas, ſtylum accuratæ ſcriptionis allaturus longo uſu elimatum, Ciceronis exemplo, qui & ipſe graviores de Philoſophia

ac Divinitate libros ſenili ſecrevit maturitati, principíſque poëtarum Maronis, à ſilveſtri qui Eclogâ per Georgicorum florida ad Divinam provexit Æneida. Hac ipſa methodo Auctor noſter, ingenii partus à Grammatica orſus, Apparatum edidit Eruditionis Latinæ, per omnes Artes & Scientias uberrimum Apiarium. Apparatui proximus Florus ſucceſſit Biblicus, Sacræ hiſtorias paginæ in epitomen ſeligens, ſtylo phrasíque venuſtatis Curtianæ, Opus utrumque Juventuti Scholaſticæ quàm lectione jucundum, tam uſu opportunum. Queis loco tertio elaboratus Concionator Hiſtoricus, & quarto Hortus Marianus de palma concertant; Orator ille per ampliatas hiſtorias diſertiſſimus; Hortator hic ad Sodales mixtis Orationi

tioni hiſtoriis amæniſſimus. Symbolicam jam Ethicam quis commendet pro meritis, Jovis de cerebro alteram Palladem? quàm illa eruditè, quàm bellè è fabularum umbris lucem evolvit veritatis? operâ non minùs ad fructum, quàm ad oblectationem accommodatâ. Unum hoc Opus Auctori ſuo in Apollinis Senatu primas inter ſedes meretur orcheſtram. At laude propè non minore (an etiam maiore? genus ſcribendi rarum, & ab raritate operis ſi pretium æſtimes) elucubravit Auctor calamo emerito, & rude jam donato, *Ethicam* alteram, quam ab Epiſtolis etymo appoſito inſcripſit *Epiſtolarem*. Non id quidem ob ſtylum duntaxat planum, temperatum, ac terſum, epiſtolíſque proprium, quem epiſtolis ſingulis affudit phraſi nati-

va, gentilíque elegantia; nam quæ exarandarum ritè epiſtolarum pars & laus eſt altera, emicat in ſtylo loquentis animi repræſentatio clara, conceptíque in ſcribentis mente ſenſûs expreſſio cordata; quódque in epiſtolæ cadit decorem, decúſque ſingulare, thematum ubique exultat ad ſcopum ſelectus exquiſitus, lecturæ, quam inſtruit, juventuti fructu duplicato. Hieronymum credas Bethlehemi de ſpecu, dictione Plinium inter & Ciceronem mediâ, formare in omnem pietatem ſuas, vel Paulam Viduam, vel Euſtochium Virginem. Unde fit, ut partus hic, conatu Auctoris tam fortunato, Muſîs faventibûs, ad artis amuſſim undequaque exactus, ætate licèt natu minimus, haud tamen ſit minor fratribûs natu maioribûs, Opus, utpote

pote epiſtolari in genere, ac raritate, numeris ſuis tam abſolutum, à litteratis Cenſoribus ut corollam jure mereatur, intra ſuam ſphæram, Operis optimi, vel Optimis proximi. Et ab hac ſcilicet libri præſtantiâ anſam capit Collegium, quod eſt Landishuti, Societatis JESU, Opus Auctoris, ſcribendi genere, & raritatis ſaltem pretio optimum, dicandi Optimatibus Patriæ, Vobis utique Inferioris Bavariæ Inclytis Statibus. Offerre gratitudo noſtra Beneficentiæ Veſtræ munus amplius haud poteſt, quàm quod ſuis in ſcriniis aſſervabat, ſi non re ipſa, offerentium quidem affectu apprimè pretioſum, & Optimum. Opus ab Auctore ipſo Beniamini inſtar æſtimatum, curæque Amicorum, ac tutelæ à moribundo commendatum, Poſthumū,

ut-

utpote deficiente parente, Pupillum. Quòdſi perlectus liber aſſertione noſtra videbitur minor, & reipſa non Optimus, admittite tamen oblatum munus animo benigno, ut aucto munifica in manu valore, patrocinii Veſtri vadimoniô, favoríſque liberali auctione, dignitatem obtineat ſimul muneris ditiſſimi, & Operis Optimi.

Gratioſiſſ. Dominationum Veſtrarum

Devotiſſimum & Obſtrictiſſimum

Collegium Landishutanum.

INDEX EPISTOLARUM.

Epiſtola I. *Paulo Rubeo: de inſcriptione & fine Ethicæ Epiſtolaris.* 1

II. *Alexandro Caſtrio, Juveni cordato militiam meditanti.* 11

III. *Lucio Severo, an ejus filio Hilarino, adoleſcenti ingenuo, addiſcenda ſit Muſica.* 19

IV. *Auguſtino Montano*: Nôſſe bonos, vitare malos. 26

V. *Marco Pratano, de ſtatu deliberanti.* 33

VI. *Nobili Adoleſcenti Antonio Philiberto Fachino, de dignitate linguæ Latinæ, ejúſque uſu retinendo.* 39

VII. *Illuſtri Viro Carolo Philippo, L. B. à Campo-largo, Domino in Villa-longa &c. Num filius in exteras Regiones mittendus.* 46

VIII.

VIII. *Wunibaldo Stagnano J. U. Studioſo. Χαίρειν, ſeu* Gaudere. 54

IX. *Antonio Sylvio adoleſcenti, Amicitiam malè initam citò diſſolvendam.* 61

X. *Euſebio Frontino, Tironi Religioſo, ſalutem & perſeverantiam.* 66

XI. *Simeoni Gerontio, de ſpe à filio immorigero fruſtratâ.* 72

XII. *Floriano Verino juveni, ad militiam aſpiranti, ſalutem & conſiderationem.* 76

XIII. *Arſenio Pyrrho ſalutem, & Victoriam ſuî.* 83

XIV. *Ad Theodorum Salvium, inſultibus malarum ſuggeſtionum, & ſpe ſalutis fluctuantem, Conſolatoria.* 89

XV. *Iulio Fontano Neomyſtæ ſalutem, & gratulationem dignitatis ſacerdotalis.* 100

XVI. *Erhardo Falconio, & Roſinæ Bellovia, Novis Nuptis gratulatio.* 106

XVII. *Reverendiſſimo & Ampliſſimo Præſuli Humberto à Longavalle ſalutem, & felicitatem Natalitiam.* 115

XVIII. *Ad Marcellam Rigatiam, Matronam nobilem, & Viduam, in funere unici filij, Conſolatoria.* 121

XIX. *Giliberto Oreſtino, Apprecatio novi Anni.* 127

XX. *Parens adhortatur filium ad litterarum ſtudia diligentiùs ſequenda.* 133

XXI. *Invectiva parentis in ſocordem filium.* 136

XXII. *Laurentio Cochlidio excitatoria languidioris indolis.* 143

XXIII. *Criſpino Pavio, adoleſcenti nobili, elegantiâ formæ ſuperbienti.* 148

XXIV. *Conrado Longino Statuario, valere, & ſua ſorte contentum eſſe.* 155

XXV. *Hieronymo Solano, Viro Patritio, de bona Liberorum educatione.* 161

XXVI.

XXVI. *Georgio Rivio, adoleſcentum nobilium Præfecto, ac Præceptori domeſtico de ratione ſui officij.* 168

XXVII. *Parens conſulit amicum, cui potiſſimùm ſtudio filium unicum applicare debeat, an Theologico, an Juridico, an Medicinæ?* 174

XXVIII. *Reſponſio pro ſtatu Medico.* 176

XXIX. *Eidem pro ſtatu Iuridico.* 186

XXX. *Eidem pro ſtatu Theologico.* 197

XXXI. *Udalrico Toralio, podagrâ laboranti, ſalutem & patientiam.* 205

XXXII. *Ad Eugenium Sophronium de vera Nobilitate.* 213

XXXIII. *Erneſto Alithino, de imagine hominis pſeudopolitici.* 220

XXXIV. *Urſino Bellofontio, de Agape hortenſi.* 229

XXXV. *Adolpho Turiono, cur magnorum Virorum filij non raro ſint degeneres.* 243

XXXVI.

XXXVI. *Lamberto Lunovio, novo Patrifamilias, regulas Oeconomicas.* 254

XXXVII. *Remigio Pontico, ejúſque uxori Sabinæ, ſalutem & pacem.* 264

XXXVIII. *Iſidoro Venantio, Clerico, Explicatio ſententiæ ambiguæ.* Proverb. 26. verſ. 4. & 5. 273

XXXIX. *Suſannæ, Viduæ nobili, ſervare modum in objurgatione domeſticorum.* 283

XL. *Geraſimo Linano patientiam ob combuſtum prædium.* 292

XLI. *Zenoni Lucellio Mercatori,* Feſtina lentè. 303

XLII. *Cornelio Curiatio, Conſilia ex eventu non eſſe metienda.* 312

XLIII. *Antonio Frontoni, utrùm dolores corporis graviores, an animi.* 321

XLIV. *Eutropius parens Tiburtio filio,* Sapientia prima, ſtultitiâ caruiſſe. 336

XLV. *Reſponſoria ad priorem Epiſtolam.* 349

XLVI.

XLVI. *Theodoro Nemeſio, de Vernaculis hujus temporis ſcriptoribus.* 355
XLVII. *Wolfgango Bombyciano, Nobili Iuveni, ad ſervitium Aulicum abeunti.* Parænetica. 364
XLVIII. *Illuſtri Iuveni Alberto Feliciano, L. B. à Tritomontio, in exteras regiones proficiſcenti.* Propemptica. 373
XLIX. *Nicolao Pionio, Religioſa vota recèns profeſſo.* Gratulatoria. 385
L. *Georgio Cervino,* Nil admirari. 392

EPISTOLA I.

PAULO RUBEO,

De inſcriptione & fine

ETHICÆ EPISTOLARIS.

SCribis, perjucundum tibi accidiſſe auditu, quòd intellexeris, me lucubrationibus prioribus, in lucem emiſſis, velle pro coronide Tractatum de Epiſtolis adijcere: eſſe & argumentum, & ſcribendi modum, quàm varium, tam in uſu frequentem; cùm enim epiſtola ſit ſermo inter abſentes, & propè ac procul hominem homini colloqui delectet, quis non epiſtolas amplectatur, imaginem animi, & interpretes mentis? Quòd ſi deſiderium abſentis amici haud parùm ſublevamus ipſius effigie, noſtris oculis obverſante, an non æquè capimur ſermone, mutæ iconi per epiſtolam addito? Quem autem pigeat, aurem accommodare viro probo & prudenti? ſive narret, quæ ſunt facta, ſive præcipiat facienda; ſive ſincerè laudanti, ſive

reprehendenti errata, & ad virtutis regulam revocanti; ſive conſolanti, ſive gratulanti; ſive alia humanitatis officia, alloquio, rei ac tempori apto, demonſtranti. Hæc Tu quidem de epiſtolis, & verè, ſi tales ſunt, quales tibi fingis; ſin' de meis loqueris, non aſſentior: habes, quòd metuas præoccupatum affectu judicium, & dum majora quædam de me tibi polliceris, ne captes anguillam, & prehendas gobium. Forſan Ciceronem, aut Plinium cogitas, quando epiſtolas laudas; quid enim diſertius, copioſius, argutius, elegantius hiſce Scriptoribus? Inter alios Tullij encomiaſtas, peritus æſtimator Dionyſius Lambinus, *de libris Ciceronis ad Carolum IX. Galliarum Regem: Marcus*, inquit, *Tullius Cicero abſolutum exemplar eloquentiæ, ſive Oratorem agat, ſive Philoſophum. Nihil de religione, nihil de pietate, nihil de charitate patriæ, nihil de bonis rebus aut malis, nihil de virtutibus aut vitiis, nihil de officio, nihil de dolore aut voluptate, nihil de vita aut morte, nihil de perturbationibus animi & erroribus, à Philoſophis ullis diſputatum eſt, cujus non appareant atque emineant in Ciceronis Scriptis illuſtria*

quæ-

quadam & praclara lineamenta, atque adeo viva ſimulacra. Nemo eſt mortalium, cujuſcunque ſit vel ætatis, vel loci, vel ordinis, vel ſtudij, vel nationis, quin à Cicerone & melior, & doctior fieri poſſit. Non deſunt alij, quibus nihil ſupra Plinium ſecundum; hunc probant, hunc admirantur, hunc laudibus extollunt, hunc argumentis varíum, concinnum, brevem, argutum, lepidum, eruditum prædicant. Quibuſdam præ omnibus placet Seneca, Romanæ Sapientiæ antiſtes: hic non tantùm flores & folia verborum habet, fructibus abundat; ſublimis idem & ſuavis, plus ſemper in receſſu tenet, quàm ore aut calamo prodit; Ethicæ Philoſophiæ, ſi quiſquam, Magiſter & Inſtitutor; affectus, origines malorum acutè aperit, acriter caſtigat, ſeverè coërcet, virtutis, honeſtíque officium graviter inculcat. Quæres, de his epiſtolicæ Latinitatis anteſignanis quid ego ſentiam? Etſi tenuior ſum, quàm ut de tantis viris judicium feram, aperiam tamen mentem meam tibi, plurium arcanorum meorum conſcio. Quòd ex his Triarijs, omni exceptione majoribus, nullum ex inſtituto mihi imitandum ſumpſerim, plures ſunt cauſæ: Plinius, quia to-

tus eſt in narrando, & dictionis exquiſitæ, cultæ ac comptæ ſtudioſus, non ſerviebat meo propoſito, qui docere magìs, quàm narrare cupio: ad prius illud non admodum deſideratur verborum cultura, & argutia; poſterius admittit & requirit etiam nitorem atque elegantias phraſium. Tullius, quia potiſſimùm verſatur in graviore argumento, non erat deprimendus ad collocutionem epiſtolarem de rebus privatis ac humilioribus: neque enim mihi enarranda ſunt pericula pro bono publico exantlata, neque incendia Catilinæ extincta, neque bella inter Cæſarem & Pompeium geſta, neque Antonij Triumviri odia repreſſa, neque Provinciæ bene, maléve adminiſtratæ, aut Clientes in judicio defenſi; & quæ ſunt horum ſimilia, plerumque publicis curis & negotijs implicita. Habet vir ille diſertiſſimus ac ſapientiſſimus ſuos in ſcribendis epiſtolis imitatores, priori maximè ſæculo, quibus hoc unicè propoſitum fuit, ut Ciceronis non modò phraſin, ſed numerum & contextum accuratè exprimerent: quales extiterunt Manutij, Sigonij, Mureti, Bembi, Longolij, Sadoleti, Politiani, & alij plures hiſce ſuppares, ex quibus aliqui tam ſuperſtitiosè pedem pede preſſerunt, ut merito

ritò Tulliani *Simij* vocarentur. De horum uno (quem nominat) Paulus Manutius, quô in ſcribendis epiſtolis nemo propiùs ad Ciceronem acceſſiſſe fertur, epiſtolâ 4. hæc habet: *In eo N. verborum circuitus ſæpe à Cicerone totus eſt. Si conſultò fecit, quòd inde laudem ſperaret, judicium requiro; etenim aliena quæ ſunt, ad nos translata, ſtultè jactamus. Sin, quod potiùs exiſtimo, inops à lingua Latina, explicare animi ſenſa aliter non potuit, neceſſitatem excuſo.* Ego verò virorum illorum veſtigia licèt pronus adorem, bonâ tamen cum illorum veniâ genus mihi epiſtolicum ſectandum conſtitui, quod *in nullius juraret verba Magiſtri.* Scriptio hæc mea ad mores attendit, & hoc ſaltem ex Seneca habere cupit, ut inſtillet virtutis amorem, odium vitij. Stylus ejusdem Senecæ, quod conſtat, conciſus eſt, & præruptus, pérque ſententias ſuſpenditur: quot penè verba, tot Sapientiæ dictamina; plura ſignificat, quàm loquitur; non meliora ab Oraculo exſpectes: ſed non eſt imitabilis illis, quibus mens curtior, & ad eloquendum ſiccior. Sapientiam ei domi natam oportuit, qui tot ex ore atque calamo Effata deprompſit; admirari fas ſit, nô æmulari. Pla-

cuit hic dicendi character doctiſſimo Lipſio, præter quem, quod ſcio, nemo tam ſecurè per Inciſa & Abrupta incedit; verba punctim vibrat, & plura cogitando, quàm proloquendo, dicit; neſcio, an ſatis idoneè ad uſum Epiſtolarem. Rotundus eſt ſermo familiaris, neque per *apoſiopeſes*, & imperfectos ſenſus graditur; probatur apertus, nec Aſiatico ambitu effuſus, nec ſtrictim intra labia compreſſus. Idem Latino ſtylo, quod vernaculo contingit; Hiſpanum natura per lentas ſententias jubet loqui; Gallum & Italum volubilitas linguæ delectat; medium tenuêre Germani: qualis indoles, talis oratio; hujus imitatrix eſt Epiſtola. Ad me, & ad *Epiſtolarem Ethicam* redeo, cujus præſtantiam Sextus Cheronæus, celebris Philoſophus, eleganti ſimilitudine explicavit: *Philoſophia*, ait, *ſimilis eſt area, muro cincta, & omni genere fructuum luxurianti, in qua parietum firmitas refert* Logicam; *arborum proceritas* Phyſicam; *fructuum ſuavitas* Ethicam. Alius Philoſophiam Ovo componit, cujus teſta ſeu cortex repræſentat *Logicam*, albumen *Phyſicam*, vitellus *Ethicam*. Hanc Salomon in Proverbijs, & Siracides in Eccleſiaſtico ſæpius nomine *Sapientiæ*

com-

comprehendunt, miríſque encomijs exornant. De hac M. Tullius *in Tuſcul. O vitæ Philoſophia dux, ô virtutis indagatrix, expultrix vitiorum! quid non modò nos, ſed omnis vita hominum ſine te eſſe potuiſſet? Tu inventrix legum, tu magiſtra morum ac diſciplinæ fuiſti.* Hanc Regum Hebræorum potentiſſimus præ cunctis theſauris à DEO petijt, quando Sapientiam poſtulavit: hanc præcipuè in Proverbijs, Eccleſiaſte, & Libro Sapientiæ pertractavit, & inculcatam mortalium mentibus voluit: de hac pulcherrimas Gnomas, Sententias, Pronuntiata poſteritati reliquit: ex hac ceu uberrimo fonte ſua prata irrigârunt, qui ſcriptis poſtea morum præceptionibus inclaruerunt. Inde ego quoque pro tenuitate mea rivulos in has epiſtolas deduxi, & quia, quod in fabulis legimus, Muſæ, victis Sirenibus, ex earundem pennis evulſis coronas ſibi texuerunt, non dubitavi Profana Sacris miſcere, & meliora Philoſophorum ac Poëtarum dicta, velut ſpolia Ægyptiaca, pro rationibus ac teſtimonijs adhibere. At brevitatem forſan in his epiſtolis requires; hæc enim in hoc ſcribendi genere, quod vocatur *Laconicum*, commendatur. Reſpondeo: utantur ſanè

contractiore gyro, qui ſcribunt moroſis, faſtidioſis, valde occupatis, amicis ſimulatis, doloſum in verbis cinerem ſcrutantibus; ego cum ſinceris ago, & non invitis ad me audiendum. Sæpe jejuna eſt brevitas & obſcura, nec rarò arrogantiæ ſuſpecta, quaſi tædeat, cum amicis ſermonem numeris pleniorem conferre. Adhæc *Ethica Monita* ſunt quaſi ſalutaria pharmaca, non extremis labris libanda, ſed in venas diffundenda: ſatis ſuccincta eſt epiſtola, in qua nihil ſupervacaneum, otioſum, redundans; nec ego longitudinem amo, ambitioſo verborum circuitu, & affectatis aſſentationibus circumductam. Severa eſt magiſtra, ETHICA; non demulcet auriculas, ſed vellit; non fricat, ſed radit. Et Tullius ipſe non ſemper ad Atticum ſcripſit Atticè, hoc eſt breviter; prolixiores litteras exaravit, & ab alio ſcriptas legit atque laudavit: ejus ad amicum quendam hæc verba ſunt: *Tua mihi epiſtola tantò fuit jucundior, quantò longior.* Clypeum mihi Divus quoque Hieronymus porrigit, de quo judicium viri graviſſimi adſcribo: *Hieronymi ſermo doctus, & antiquitatis exemplis abundans, multóque acumine, & ad omnia exprimenda factus, ſive Scriptura ad*

verbum

verbum interpretanda, ſive praecepta omni vita praſcribenda, ſive quidpiam laudandum, aut vituperandum ſit, ſive denique aliquis ad virtutem cohortandus: in quibus omnibus ita valet, ut planè illa cæleſtis eloquentia videatur. Hæc Hieronymus Platus lib. 3. de Bono Statûs Religioſi. cap. 11. verè, & ex merito Viri, ſanctitate, ſapientiâ, eloquio clariſſimi, cujus dictio fluida, clara, nervoſa, eruditione ſacra & profana, temperata. Hunc Doctorem carpit, qui productiores epiſtolas reprehendit, præſertim in Didactico argumento, quod ipſum Senecam, cæteroquin ſuccincti ſermonis amantem, non ſivit eſſe Laconicè brevem. Cæterùm, ſi quis exiſtimaret, me hîc quædam paradigmata proponere, ſeu formulas quasdam aut modulos epiſtolares, is magnopere deciperetur: neque enim mihi mens eſt, Grammaticum in hac ſcriptione agere, ſed *Ethicum*, non verborum leges captantem, ſed morum præſcripta tradentem; in ovo vitellum, non teſtam quæro; qui corticem malunt, ad Collectores phraſium epiſtolicarum ſe conferant, & famem paſcant. Ex quibus omnibus facilè perſpicis, dilectiſſime Paule, quid tibi tecum ipſo pro me lo-

quendum ſit. Neque miraberis, credo, inſolentiam tituli, *Ethicæ Epiſtolaris*; etenim tantos animos mihi non ſumpſi, ut Philoſophiam *morum* hîc pertractarem, ſed ea duntaxat delibavi, quæ ad familiarem uſum & mutuum ac utile colloquium, magìs pertinere videbantur. Si quæ in his, ut multa erunt, parùm nitida, acuta, elaborata inveneris, cogita, me ſcripſiſſe epiſtolas, quarum ſtylus, ſi à communi & ſimpliciore conſuetudine recedit, ipſo cultu nimio peccat. Neglectus aliquis, ut in quibusdam capillis, ſic in Epiſtolari ſcribendi ratione, ſi minùs placet, certè toleratur: quæ acuta, non raró minuta. Scitum eſt Philoſophi: *Chryſippi acumen in ſeipſo refringitur.* A ſubtilitate & acie mentis me excuſat ætas gravior, corpus morbis & virium imbecillitate, caput curis litterarijs exhauſtum: plura túmet excuſabis. Vale quàm optimè, & poſtremo huic ſenectutis meæ partui nidum inter ſuos fratres, pro veteri benevolentia, indulge. &,

ſicubi in ſalebras incideris, aut errores
notaveris, ignoſcendi titulos
cogita.

II.

II.

ALEXANDRO CASTRIO,

Juveni cordato militiam meditanti,

Salutem, & bonam fortunam.

POſtquam conſilium tuum caſtra adeundi amicis aperuiſti, ſcribis, varios ab ijs admotos tibi arietes, quibus te ab hac mente dimoverent. Inter alias nænias, jam tritas, hanc præſertim occentârunt: ea nunc agi tempora, quibus omnis penè honor militiæ eviluit; longo volumine duci bella, nunquam perduci; eſſe certa pericula, dubia prœmia; eos, qui militiæ nomen dant, fere purgamenta urbium haberi, quibus ob egeſtatem, & maxima flagitia perpetrata, neceſſitudo incumbat, militare; quorum linguæ vanæ, manus rapaces, pedes fugaces, perpetua comes temulentia & laſcivia. Et ipſas bellandi cauſſas plerumque haud meliores eſſe, quàm ſint bellatores; unam, & eam veterem bellorum originem cenſeri, Salluſtio teſte, *profundam cupidinem imperij, & divitiarum*; verè illud à Seneca Tragœdo aſſeri *in Hippol.*

Rupêre fœdus impius lucri furor,
Et ira præceps.

Gravitérque Seneca Philoſophus epiſt. 94. ſermonem ab uno bellatore ad omnes ducit: *Marius exercitum, Marium ducebat ambitio. Iſti, cùm omnia concuterent, concutiebantur; turbinum more, qui rapta convolvunt, ſed ipſi antè volvuntur, & ob hoc majori impetu incurrunt, quia nullum ijs ſui regimen eſt.* E SS. Patribus Chryſoſtomus, affirmat, frigidas illas duas voculas, *Meum* ac *Tuum*, innumerorum bellorum cauſam eſſe; & S. Auguſtinus epiſt. ad Fauſtum inter bellandi cauſas numerat, *Nocendi cupiditatem, ulciſcendi crudelitatem, implacatum & implacabilem animum, ac libidinem dominandi.* Eloquenter D. Chryſologus in eandem ſententiam profatur ſerm. 126. dum ait: *Cupiditas habendi imperat gentibus, bella mandat, comparat bellatores, ſanguinem vendit, agit mortes, prodit patrias, urbes deſtruit, ſubdit populos, arces urget, vexat civitates, honeſtatem diſſipat, innocentes tollit, pietatem ſepelit, ſacra & profana miſcet.* Hæc ſunt belli encomia, hoc Martis opus, hi militiæ fines. Poſſint enimverò tales arietes animum etiam conſtantem concutere, niſi forti-

titu-

titudo, velut aheneus murus, omnes inſultus retundat. Quorum enim, quæſo, hominum ſunt iſtæ catapultæ è diverſis armamentariis collectæ? An verò bella & bellatores in ultimam Thulen ablegandi, quia multa mala cum ijs conjuncta? an ideo nemo militat ſine peccato, quia multa peccantur in caſtris? Unde tot ſancti milites, ſi militia nihil niſi ſcelerum colluvies? Cur Abraham, Moyſes, Joſue, Gedeon, David, Machabæi tantopere laudantur in ſacris paginis, ſi nemo miles ſine flagitio? Quid, quòd DEUS ipſe non modò excitat ad bellandum, ſed etiam bellare docet? Audi, quem modò nominavi, Davidem pſal. 17. *Qui docet manus meas ad prælium, & poſuiſti ut arcum æreum brachia mea.* Hic arcus immanem illum gigantem Goliathum dejecit, totámque Hebræorum gentem ab imminente ſervitutis periculo liberavit. *Suſcipienda ſunt bella*, inquit Tullius de Offic. *ut ſine injuria in pace vivatur: cùm tempus neceſſitásque poſtulat, decertandum manu eſt, & mors ſervituti, turpitudiníque anteponenda.* At bellum multis eſt occaſio cupidè, avarè, crudeliter, impiè agendi: num ideo nullum eſſe debet?

Nil

Nil prodeſt, quod non lædere poſſit idem.
Et latro, & cautus præcingitur enſe viator,
Ille ſed inſidias, hic ſibi portat opem. Ovid.

Atque ut auctoritates auctoritatibus opponam, S. Ambroſius, poſtquam multis exemplis oſtendit, excelluiſſe quoque in populo DEI multos bellicæ fortitudinis laude præſtantes, deinde his verbis concludit: *Habes fortitudinem bellicam, in qua non mediocris honeſti & decori forma eſt, quòd mortem ſervituti præferat ac turpitudini. Quæ res multos accendit, ut leonum inſtar ſpirarent Martem, quibúſque dulce ac decorum erat, pro patria mori.* Et Auguſtinus epiſt. ad Marcellinum: *Si Chriſtiana diſciplina omnia bella culparet, hoc potiùs conſilium ſalutis pœnitentibus in Evangelio diceretur à Joanne, ut abijcerent arma, ſéq. militiæ omnino ſubtraherent. Dictum autem eſt eis,* Luc. 3. *Neminem concuſſeritis, nulli calumniam feceritis, ſufficiat vobis ſtipendium veſtrum. Quibus proprium ſtipendium ſufficere debere præcepit, militare utique non prohibuit:* & ibidem: *ad hoc enim tributa præſtantur Cæſari, ut propter bella neceſſaria militi ſtipendium præbeatur.* Omni exceptione major laudator militum Paulus Apoſtolus, cujus de-

forti-

fortibus viris illud elogium : *Fortes facti ſunt in bello , caſtra verterunt exterorum.* Heb. 11. de quibus Ambroſius de Offic. c.27. *Fortitudo, quæ vel bello tuetur à barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel à latrocinijs ſocios , plena juſtitiâ eſt.* Eòdem reſpexit Auguſtinus: *apud veros*, inquit, *DEI cultores etiam illa bella peccata non ſunt , quæ non cupiditate, aut crudelitate, ſed pacis ſtudio geruntur, ut mali coërceantur , & boni ſubleventur.* Ex his apparet, quàm invalida, & planè ficulnea ſint illorũ argumenta, quos ipſi putant Achillea, quámque debiles ſint ad evertendos muros militaris fortitudinis applicati arietes, quibus tibi diſſuadere conantur bellicæ laudis gloriam , & igniculos à Natura , imò Marte inditos extinguere , dum vel bellorum cauſas, tanquam injuſtas, damnant , vel ſi juſtæ ſunt , mille peccandi & pereundi periculis exaſperant. Verùm id modò non ago , ut tibi quæſtionem de juſtitia armorum moveam ; hæc enim ad illos pertinent, qui bella ſuſcipiunt , vel ad defendendum , vel invadendum, ad ſuas provincias tutandas , ad injurias illatas aut ulciſcendas, aut, ne inferantur, prohibendas ; ſed in hoc nunc verſatur mea epiſtola, ut oſten-

ſtendat, non leve decus eſſe in armis poſitum; & generoſos ſpiritus nequaquam eſſe ob hominum meticuloſorum frivolas objectiones abijciendos. Veteres Deæ Palladi, Sapientiæ Præſidi, non tantùm librum, ſed etiam haſtam in manum dederunt, ut indicarent, haud minorem in Sago, quàm in Toga, ſapientiæ gloriam eſſe collocatam; fortitudinis verò cotem maximè in armis reperiri, trito verbo: *Virtus ſine adverſario marcet.* Metellus fortiſſimus Romanorum Conſul & Imperator belli, devicta Carthagine, neſcire ſe, ajebat, boníne plus, an mali Reip. attuliſſet illa victoria, quoniam, Hannibalem longiùs ſubmovendo, materiam laudis & virtutis bellicæ populo Rom. ademiſſet. Vertamus igitur illum Tullij verſiculum,

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ,

& dicamus:

Cedant libri armis, concedat laurea Marti.

Et unde Nobilitatis origines, unde Inſignia, niſi ex militia? Quid illæ criſtæ in armis gentilitijs, quid caſſides, quid leones & dracones aliud ſunt, quàm bellicæ gloriæ teſtimonia, virtutis argumenta? quid ludi Trojani,

ni, decurſiones equeſtres, exercitationes gladiatoriæ & jaculatoriæ, niſi ſimulacra conflictuum,& belli, rudimenta dicam, an ornamenta? Et cui non *Pulchrum mori ſuccurrit in armis*; ſi cum Juda Machabæo, Hebræorum Archiſtratego, hoſtium Terrore, & Religionis vindice, tandem liceat glorioſa morte defungi, *Pro DEO & populo* occumbere? Equidem conſtat ad Rerumpubl. incolumitatem & gloriam plurimùm conferri militum robore: ſunt enim Religionis muri, juſtitiæ tutela, rebellium & hoſtium pavor. Militiæ præſidio rura tutò excoluntur, mercatura procedit, peregrinæ opes invehuntur, artes celebrantur, ſcientiæ perficiuntur, conjuges familiam curant, Virgines DEO devotam pudicitiam ſervant, Viri ſacri religioſis munijs vacant, magiſtratus jura exercent, ſubditi dicto audientes ſunt, in provincijs ſingulis, quemadmodum in alvearijs apes, rem ſuam quiſque agit, neque alienam turbat. Fortitudo bellica ignota maria, peregrinas terras, invios montes, inacceſſas ſilvas, nova regna, imò orbes novos aperuit. Abſque militibus eſſet, nec Leges in foro, nec Juſtitia in Curia, nec Pietas in templis, nec Pax in regno, nec Fides & Veritas locum inveni-

rent in hominum conſortio. Per hos continentur in officio contumaces, reprimuntur elati, compeſcuntur indomiti, repelluntur inimici, Principum & Magiſtratuum honor ac dignitas conſervatur. Quare ſequere caſtra, proficiſcere, quò tuus te ardor ducit, Marti te conſecra, Bellonæ auctóra, proemia, honores, trophæa ſpera:

Audentes fortuna juvat, timidóſque repellit.

Pericula contemne, vulnera ne metue, è quibus plus gloriæ, quàm ſanguinis fluit: inter Cornelios & Longinos Centuriones, Achatios, Mauritios, Martinos, Calliſtratos, Euſtachios, Florianos, Gallicanos, Tribunos ac Duces militares nomen fortibus factis extende; horum exemplo pietatem cum armis conjunge, & pro ſymbolo militis Chriſtiani tibi uſurpa, *Fortia agere & pati.* Ego precibus apud DEUM inſtabo, ut ſecundet tua cæpta, & te per militiæ gradus provehat ad ea décora, quibus tu patriam ornes, & illa te viciſſim. Vale, virum te præbe, & ſic Principis tui temporalia merere ſtipendia, ne apud Cœleſtem Regem amittas æterna.

III.

LUCIO SEVERO

Salutem.

An filio Hilarino, adoleſcenti ingenuo, addiſcenda ſit Muſica.

COnſulis me de filio tuo Hilarino, vir amiciſſime, decennium ætatis nondum egreſſo, an videatur Muſicam docendus, ſive eam quæ fidibus conſtat, ſive quæ voce utitur; quam canoram & liquidam aſſeris eſſe puero, digitos celeres & flexiles, indolem cujuſvis artis capacem, & canendi cupidam, id quod ſæpius cantillando & modulando ſatis oſtendat. Interrogatos à te viros quoſdam prudentes, diſſuaſiſſe, quòd ingenium puerile ſit mòlle, nec diverſis curis fatigandum; memoriam haud confundendam, tempus litterarum ſtudiis non decerpendum; nam juxta tritum verbum:

Pluribus intentus, minor eſt ad ſingula ſenſus.

Et communi adagio: Qui duos inſequitur lepores neutrum capit. Adhoc experientiâ conſtare, quòd Cantores proniores ſint ad levi-

tates, abutantur otio, nec gravioribus ſe occupationibus applicari ſinant; diſtrahi hoc ſtudio immaturos animos, nec aliam plerumque laudem mereri, quàm ut dicatur: *Vox eſt, prætereáque nihil.* Et hæc ipſa vox, quàm facilè rauceſcit, faſtidium delicatioribus auribus adfert, & pro plauſu ludibrium refert. Adde, quòd in Muſicis ſoleant ſe exercere plebeio genere orti, quibus ſuſtentationis ſubſidium inde petitur. Equidem citharædi & Cantores ridiculè traducuntur paſſim à Poëtis, inter quos Ovidius:

Enervant animos citharæ, cantúsq; lyraq;,
Et vox, & numeris brachia mota ſuis.

Hinc præmaturè iſti homunculi, quos crinitos Jopas quidam ex Marone vocat, aſſueſcunt noctu plateas obire, feneſtras & fores excantare, artem lenoniam exercere, amaſias invitare. Vis teſtem? Auguſtinum audi lib. " de *decem chordis.* Quid prodeſt, inquit, de- " lectari canticis, ad tempus dulcibus, in po- " ſterum amaris? Talibus enim turpitudini- " bus cantionum enervantur illecti animi, & " decidunt à virtute, & cum magna amari- " tudine digerunt, quod cum magna dulce- " dine biberunt. Et D. Heronymus ad Fu- " ri. Cantor pellatur ut noxius; fidicinas, pſal-

pſaltrias, & iſtiusmodi chorum diaboli, „ quaſi mortifera Sirenum carmina, pro- „ turbate ex ædibus veſtris. Hæc illi, „ ut ſcribis, aliáque plura contra Muſicam. Ego tametſi nec filius Prophetarum, nec in choro pſallentium numeror, id tamen, quod de arte canendi ſentio, ſincerè tibi aperiam. Verum eſt, non deeſſe ſuos Cantoribus nævos (quis enim non patitur manes ſuos?) & ſæpius amatorijs modulis, laſcivis cantilenis caſtas aures, animóſque vulnerari; hoc autem non tam arti Muſicæ (quod etiam alijs honeſtis diſciplinis contingit) quàm malitiæ hominum, eâ abutentium, eſt imputandum. Aliter lyram *Achilles*, aliter *Paris* tractavit; ille fortia heroum facta cecinit; hic molles amores cantavit: ille iracundiam harmonicis modulis ſedavit; iſte raptæ per vim Helenæ epithalamium fracta voce, & argutis digitis celebravit: illi ſua cithara pro claſſico fuit, quo ſeipſum heroico concentu in hoſtem incitavit: hic imbellem dexteram magìs etiam effeminavit pectendis molliter fidibus: illius Inſtructor in Muſicis Chiron fuit Centaurus, telo minax & arcu; hunc pulchra Venus ad choreas canere docuit; cujus lyra cùm Alexandro M.

 tan-

tanquam monumentum antiquitatis, oblata fuiſſet, eam tanquam fortiore manu indignam, rejecit. Plurimùm igitur refert, qualis ſit, qui canit, quódque canendi argumentum tractet. David, etiamnum puer inter ovium balatus, ad modulos cantavit, ejúſque magiſterium artis è cœlo hauſit; potentia carminis tartareum hoſpitem è pectore Regis Saulis ejecit, eíque malaciam mentis reſtituit: quid præclarius poteſt pro Muſica adferri? Præſtantiam canendi ut ſuis Veteres laudibus efferrent, Amphionem finxerunt, ſaxa cantu moventem, ut ultrò in coagmentationem & conſtructionem mænium Thebarum coirent; Arioni modulis ludenti delphinus ſe ſubſtravit, à quo inter obſtantes fluctus in portum efferretur: de Orpheo Horatius lib. 3. Ode 11.

Tu potes Tigres, comitéſque ſilvas
Ducere, & rivos celeres morari:
Ceſſit immanis tibi blandienti
Janitor aulæ.

Unde lyram ejus inter aſtra ſuſpenderunt. Sed quid fabulas pro encomio Muſicæ adduco, cùm abundè ſuppetant hiſtoriæ, quibus ſcientia canendi commendetur? Tullius, « graviſſimus auctor, 1. Tuſcul. Summam, in-

inquit, eruditionem & animorum inſtitu- »
tionem longè præclaram eſſe in nervo- »
rum vocúmque cantibus ſitam, à Græcis »
ferè ſemper creditum eſt. Hinc legimus »
Epaminondam Græciæ Principem fidibus »
præſtantiſſimè ceciniſſe. Socrates, quô nul- »
lus Philoſophorum gravior exiſtimatus eſt, »
atque ſanctior, ſenex didicit fidibus ludere. »
Themiſtocles, quòd in epulis recusâſſet ly- »
ram ſumere, indoctior habitus eſt. Lycur- »
gus, quamvis duriſſimas leges Lacedæmo- »
nijs ſuis injungeret, Muſicæ tamen ſtu- »
dium eſt amplexatus. Pythagoras, & qui »
deinceps ſtudia conſectati ſunt eadem, »
mundum ipſum non citra muſicas ratio- »
nes concinnatum, coaptatúmque docue- »
runt. Plato gentibus contributam putat »
Muſicam, ut, quod animæ conſonantiam »
turbat & harmoniam, hujuſce voluptatis »
delinimento ſedetur, atque in ordinem re- »
digatur; Muſica mores inſtruit, ac mollit
irarum ardores, quod vel Homericus Achil-
les abundè ſignificat. Hæc Cicero: quid di-
ſertius, quid gravius? Validius vis argu-
mentum contra oſores Muſicæ? accipe. Quid
ſi, vocante DEO ad Sacerdotium aut Religio-
ſam familiam, Hilarinum tuum, eò deni-

 que

que is evadat, ut Officia ei divina, ſolenniori ritu ſint cantu celebranda, decantandi hymni, modulandi pſalmi, pro dignitate ſacratiora Myſteria ad muſicos numeros obeunda; quid tunc faciet filius tuus, imperitus modulaminis? an hoc ad honeſtatem familiæ, ad decentiam muneris ſuſcepti; Si anſer inter olores, ſi Arcadicus aſellus inter Cantores ruditu ſuo turbat muſicam, & ſe ridendum, etiam in templo propinet? Ubi præceptum Apoſtoli, *docentes & commonentes voſmet ipſos pſalmis, hymnis & canticis ſpiritualibus.* Coloſſ. 3. 16. ubi Jeſſæi Vatis monitum: *Pſallite DEO noſtro, pſallite: Regi noſtro pſallite, pſallite ſapienter.* Pſal. 46. id eſt, decorè, piè, & ad affectum. Cantum certè Eccleſiaſticum tanti D. Auguſtinus fecit, ut lib. 10. Confeſſ. c. 33. fateatur, ſe illo modulamine ad dulces lacrimas permotum fuiſſe. Dices: Quid ſi meus filius nec ſymphoniacum in menſis, nec in templis agat, eique non conveniat, quod Horatius de lyra canit, *Lib.* 3. *Ode* 11.

-- -- Túque Teſtudo
Divitum menſis, & amica templis.

Quis tum uſus erit Muſicæ? Reſpondeo: Nec utilitate, nec voluptate caret. Muſicæ gna-

gnarum eſſe. Quid enim? an non jucundum ſit, dijudicare nôſſe, num inter ſe conveniant & concordent fides, fiſtulæ, voces? an non delectabile ſit, poſſe diſcernere, quid diſtet Apolline Marſyas? An non magni quoque Cæſares noſtra ætate majeſtatem ſuam ad artificium Muſicæ demiſerunt? modulos compoſuerunt, & Muſarum Choris in certamen dederunt? Sed quid ego hæc pluribus proſequor? Muſica apud omnes gentes ſemper in honore eſt habita, & ad animorum oblectationem, curarum abſterſionem, laboris levamen, virium refocillationem, affectionum moderationem, divinarum laudum celebrationem eſt adhibita. Muſicus concentus ſeria jucundis temperat, convivas exhilarat, lites & rixas ſedat, ſermones laſcivos & obtrectatorios dispellit, mentem ad intermiſſa ſtudia alacriorem reddit. Et

Hoc eſt, cur cantet vinctus quoque compede foſſor,
Indocili numero cùm grave mollit opus.

Hoc eſt, cur Pythagorei Philoſophi, ad lenem & perturbationibus vacuum ſe ſomnum compoſituri, modulamen præmiſerunt; hoc eſt, cur dicat Eccleſiaſticus c. 40. *Vinum & Muſica lætificant cor*, triſtéſque à fronte nebulas

bulas repellunt, ſerenitatem animo induc unt. Sat longam claudo epiſtolam, & cum memorato Siracide addo: *Non impedias muſicam*, Eccli. c. 32. Vale, & filium Hilarinum, hilaritatem nomine & indole præferentem, naturæ genium ſequi permitte.

IV.

AUGUSTINO MONTANO

Adoleſcenti,

Nôſſe bonos, vitare malos.

VEteris cujuſdam Philoſophi, nomine Apollonij Thyanæi, votum erat: *Nôſſe bonos, vitare malos*: quò indicaret, quantùm interſit, probæ an pravæ Societati adjunctum eſſe; nam vulgari verſiculo:

Noſcitur ex Socio, qui non cognoſcitur ex ſe.

Quod te præſentem monui, id repeto per epiſtolam: *Fuge malos, ſequere bonos*; hic eſt juventutis ſcopulus; hic lapſus & ruina. Per ſe infirma hæc ætas eſt, & proclivis in vitium; ad hoc ſi accedat perverſorum hominum impulſus, quid exſpectes, niſi præcipitem caſum? Tibi præſertim metuo ab hac

vora-

voragine, quæ nimis quàm multos adoleſcentes hauſit, hauritque. Incautus es & imprudens, temerè te ſocias ijs, quibus non debes; blandis te verbis ductari ſinis, citò credis, citò caperis:

Fiſtula dulcè canit, volucrem dum decipit auceps.

Velut bos victimarius ſequeris illos, qui te ad mala conventicula præcedunt, ubi diſcis, quorum te in omni vita pœniteat. Ut igitur intelligas, qui ſint *mali*, quos devites, qui *boni*, quos noveris, & in conſortium admittas, ſcribo haſce, unde tua pericula agnoſcas & caveas. Sapientiſſimi Regis effatum eſt: *Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit: amicus ſtultorum ſimilis efficietur.* Prov. 13. v. 20. Ferè enim quiſque talis evadit, quales ſunt illi, quorum conſuetudine oblectatur; collocutio & converſatio crebra, ſua ſenſa, ſuos affectus & mores ei, quocum verſatur, etiam neſcienti ſenſim inſtillat, ingerit & imprimit, præſertim ſi alter alterum amet & redamet, ejúsque dictis & factis delectetur ac gaudeat, perinde, ut qui in Sole ambulat, ejus radijs etiam neſcius afflatur & incaleſcit, & qui in frigido aëre verſatur, reſpirando attrahit penetrabile frigus. Probus à probis probos mo-

res

res induit, improbus improbitatem ab improbis imbibit. Et verò majus eſt contagium *mali*, quàm aſſuefactio *boni*; faciliùs addiſcitur vitium, quàm virtus; unus impudicus homo citiùs inficit decem pudicos, quàm multi pudici unum ad pudorem revocant. Modicum fellis, myrrhæ vel abſynthij totum lactis vel vini, aut etiam mellis poculum, amarum efficit; cùm ex adverſo integrum poculum mellis, vix vitrum aut cyathum myrrhæ vel abſinthij edulcóret. Vides hinc periculum ſeductionis & corruptelæ. Uva, ut in adagijs fertur, viciná livorem ducit ab uvâ; ovis ſcabioſa ceteris ſcabiem affricat. Ad hæc famæ tuæ conſule, nam ſi te adjungas improbis, quis te non crediderit improbum & perverſum? pares cum paribus facillimè congregantur; ſimilis gaudet ſimili: graculus aſſidet graculo, philomela philomelæ. Nigra es, & ideò mihi chara, *dicebat cacabus ollæ.* Senecâ teſte, ut quædam in contactis corpore vitia tranſiliunt, ita animus mala ſua proximis tradit. Platonis familiares ejuſdem gibbum imitabantur, Ariſtotelis amici balbutiem, Alexandri Macedonis cervicem inflexam: *Cum bonis bonus eris, cum perverſis perverteris.* Iſaacum probiſſimæ indo-

indolis adoleſcentulum, admodum ſexennem, ne ſeduceret Iſmaël, ipſum & matrem Agarem ejecit Abraham domo. Saul viciſſim cùm in cuneum Prophetarum, ſeu choros Religioſorum virorum, pſallentium & DEUM laudantium incideret, cœpit ipſe quoque rus pectoris & morum excutere, muſicis modulis Numinis laudes celebrare, *inque alterum virum* (ut S. Scriptura loquitur) *mutari.* Ecce vim & effectum boni conſortij.

Et hoc eſt, *nôſſe bonos*, & *vitare malos*, de quibus cavendis accipe monitum ejuſdem Salomonis Prov. 1. v. 10. & 15. *Fili mi, ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis, ne ambules cum eis.* Quid autem aliud eſt *lactare*, quàm blanditijs & promiſſis aliquem inescare, allicere, & decipere? Faciunt hoc reprobi & perverſi ſocij, qui amicos ſe ſimulant, Achates & Theſeos tuos dicunt; quorum os in melle, cor in felle: horum invitamentis tu ne credas, ne acquieſcas, familiaritatem fugias, conſortium devites, *Prohibe* (pergit Salomon) *pedem à ſemitis eorum; pedes enim illorum ad malum currunt*, ad improbitatem te ducunt, ad flagitia abripiunt, cum lactea dulcedine venenum inſtillant; phialam præbent, qualem olim Jahel Siſaræ, belli

li Duci porrexit; cum lacte mortem bibit; ſopitus enim ſuavi potu, tempora clavo transfoſſus eſt. Hoc agunt pravi ſocieni; inter ſcyphos & pocula, inter ludos & jocos, riſus & ſales, miſcent aconita, abſcondunt toxica, ridendo ad Orcum te pertrahunt. Hujus rei rarum & idoneum eſt naturæ exemplum & ſymbolum in lupo, cujus rapiendi & nocendi tanta vis eſt & noxa, ut veſtigia lupi, teſtante Plinio lib. 28. c. 10. ab equo calcata, torporem illi, & pedum rigorem ac tremorem afferant. Sceleroſi congerrones lupis non abſimiles, graſſantur non tam in corpora, quàm animos: *inſidiemur*, ajunt Prov. 1. v. 11. *Sanguini* (innocenti) *abſcondamus tendiculas contra inſontem*, tegamus dolos, per ſpeciem familiaritatis & boni conſortij eum irretiamus, & in partes noſtras, ac vitia trahamus. Quid ſequitur? quod pſalmo 34. habetur: *Dicunt in cordibus ſuis: Euge, euge animæ noſtræ, devoravimus eum.* Euge, bene, feliciter! Res ex animi ſententia ceſſit: lætetur anima noſtra in interitu ipſius, *Devoravimus eum*, & ſimilem nobis effecimus, ex incorrupto, morigero, modeſto, ſobrio, caſto adoleſcente, refractarium, faſtuoſum, contumacem, intemperantem, protervum, im-

impudicum & impudentem reddidimus. Sic loquuntur, ſic agunt, qui te perditum eunt. Hoc ſeductionis periculum Siracides c. 13. per apologum ollæ & cacabi explicat: *Quid communicabit*, inquit, *cacabus ad ollam? quando enim ſe colliſerint, confringetur.* Si cacabo æneo allidatur olla fictilis, quid ni confringatur, & in minutas teſtulas rumpatur ac diſcedat? Lutea & fragilis olla eſt adoleſcens, pronus in vitium, proclivis in lapſum, qui ſi aſſociet ſe homini nequam, flagitioſo, frontis ferreæ, oris indurati, vitæ denigratæ, proximum eſt, ut infirmior ætas ad eum alliſa, candoris & integritatis detrimentum patiatur. Hoc ipſum ante Siracidem ingeniosè finxit Phrygius Æſopus; producit enim fabulam duarum ollarum, unius æneæ, alterius teſtaceæ, quæ cùm vi fluminis raperentur, & fictilis ſibi ruinam metueret, dixit illi ænea: *Ne metuas; curabo enim ego, ne collidaris, & frangaris.* Cui fictilis: *ſive*, inquit, *me tecum, ſive te mecum fluvius colliſerit, utrumque ſine tuo, utrumque cum meo fiet periculo: quare decretum mihi eſt à te disjungi.* Rectè verò: *qui amat periculum, peribit in illo.* Qui tangit picem, inquinabitur ab ea; qui juxta claudum habitat, ſubclau-

claudicare diſcet; fuliginoſus cacabus niveam ſyndonem nigredine inficit; aheneo tripodi propiùs admota ollula lutea, alliſu confringitur. Hæc fabella de te narratur, Auguſtine, hoc periculum tibi imminet; *Qui cum ſtultis graditur, ſimilis efficietur*; familiaritas cum hominibus mente corruptis & vitioſis, contagium ſpargit, perniciem & peſtem affert. Ergo ne collidaris, disjunge te ab improbis, quò longiùs, hoc ſecuriùs. Rectè vetus Poëta:

Nulli te facias nimis Sodalem,
Gaudebis minùs, & minùs dolebis.

Gaudium ſcilicet putas cum æqualibus juvenili genio indulgere, aleam tractare, ſympoſia frequentare, in petulantes jocos effundi, vetitos amores ſequi: hanc tu lætitiam facilè contemnes, has oblectationes vitabis, ſi ſeriò expendes multorum gemitus & dolores ex imprudenti familiaritate contractos. Amicitia inter vitra inita, plerumque in diſſenſiones & odia deſinit, ut agnoſcas eſſe vitream, lubricam, intutam. Dulcis initiò videtur, ſed ſuavitas iſta citò vertitur in faſtidium: ſolent mella movere ſtomachum, & nauſeam provocare. Adoleſcentia, ut eſt in cæteris rebus inconſtans, ſic in amicitia & affectu mu-

tuo

tuo inſtabilis; ſubito turbine decutiuntur roſæ, quibus ſeſe inexperti coronant; minimo momento remittunt in cithara chordæ & diſcordant. Eundem in modum juvenum corda leves ob cauſas diſſonant, & *à lætitia, ludo, joco,* ut Plautus loquitur, ad rixas & contentiones deſcendunt; unde inimicitiæ & averſiones animorum, & pœnitudo ſera fallacis amicitiæ; quæ ut tempeſtas in Aprili mutatur. Neque illorum condolentia eſt ſincerior quàm lætitia, nam ut Eccleſiaſticus c. 37. Sodalis *amico condolet causâ ventris.* Nidorem culinæ comitatur amor; illo exſpirante, etiam hic in auras abit. Hos tu cane pejùs & angue vita, ſi vis ſaluti ac famæ tuæ, parentûm obſervantiæ ac obſequio conſulere.

V.

MARCO PRATANO.

De ſtatu vitæ deliberanti &c.

SUſpiria tua per epiſtolam mihi indicâſti, cujus exordium fuerunt illa verba D. Auguſtini, alio ſenſu uſurpata: *Poſitus in medio, quò me vertam, neſcio.* Nempe in *Bivio,*

 quod

quod *Herculis* dicitur, conſiſtis, neque ſatis deliberatum habes, ad quem vitæ ſtatum & conditionem te convertas; decimum quartum ætatis annum jam ſuperâſti; ſtatuendum eſt, quæ veſtigia ſequaris; cui vento vela obvertas. Et quia ſalus æterna ab hac deliberatione pendet, meritò de recta via ineunda ſolicitus es, & cum Pſalte regio exoptas: *Utinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas juſtificationes tuas!* pſal. 118. Ita ſuſpiravit anima illa pia, de qua Chriſtianus Poëta:

Quò ferar in tanto deprenſa errore viarum,
Sectum ubi tam vario tramite fallit iter?
Hac abit in dextrã, tenet altera ſemita lævã,
Illa tumet clivis, vallibus iſta jacet.
Hac faciles aditus, aditus habet illa malignos,
Et quos illa tegit, detegit iſta dolos.
Quóq; vel hæc tendat, vel quò ſe porrigat illa,
Exitus implexo fine videre vetat.
Non ita, quæ partes via ſe findebat in ambas,
Herculis ambiguum fecit euntis iter. *

(*) *Herman. Hugo in pijs Deſideriis. lib.2. eleg. 2.*

Herculeum hoc bivium *Prodicus* Philoſophus ſtatuit, qui Herculem, jam puberem, viriléſque gerentem animos, induxit inter geminas vias conſiſtentem, & hinc *Virtutem*, inde *Voluptatem* ad ſe juvenem allicientem.

Vir-

Virtus ſerio vultu,modeſto inceſſu,virili voce, aſpectu liberali, oculis verecundis exhibetur; *Voluptas* autem laſciva, fucata, cultu molliore, impudenti obtutu, incompoſito gradu, fracto ſermone inducitur. *Virtus* intendit manum,

Ardua ſaxoſo quà ſurgit ſemita clivo,
quà vepribus inſtratæ viæ, anguſtus ad ſublimes arces ducit callis, caſtra horrent armis, ſtant fluvij conſtricti gelu, noctes ſub dio vigilantur amaræ, & variorum hominum genus labor improbus urget. *Voluptas* è contrario invitat ad prata, ubi vernantes rident flores, placidè labuntur amnes, ſuaviter cantillant volucres, leniter ſpirant auræ, arbores frondibus & fructibus luxuriant. Quid conſilij hîc fuit Herculi? Rejectis maleſuadæ Voluptatis blanditijs, ad dextram, quò Virtus vocabat, tranſivit. Idem ſignificavit ſapientiſſimus Senex Pythagoras per litteram Y. quæ tramite ſecta bicorni, virtutis, vitiíque ſpeciem præfert. In hoc tu Bivio modò conſiſtis; ad baſin hujus bicipitis tramitis ambiguus hæres, & animum nunc huc,nunc dividis illuc. Via Virtutis à dextris, primo quidem aditu eſt ardua & confragoſa, ſed difficultate ſuperata miteſcit, in lucidum, amœ-

númque campum ducit, ubi laborum fru-ctus uberes & jucundos capere licet. Via vitij à ſiniſtris, initiô ingreſsûs amœna videtur & florida; in qua ubi paullò proceſſeris, ſubducitur illa amœnitatis ſpecies, aſperatur ſaxis, obducitur ſentibus, impeditur ſalebris, interciditur torrentibus, in qua laborare, hærere, labi, cadere neceſſe ſit. Quapropter ſi ulla res eſt conſultationis indiga, hæc profectò eſt; nam ſemel hîc erràſſe, eſt ſalutis ſe periculo expoſuiſſe. *Callidi eſt* (inquit regius parœmiographus) *intelligere viam ſuam, & imprudentia ſtultorum errans.* Eundum, non quà plures præcedunt, ſed quà meliores. Homo cautus & ſalutis ſuæ ſolicitus, actionum ac vitæ proſpicit exitum; ſtulti præſentibus abrepti, nihil de futuris cogitant; ruunt cæci in pericula, & modica voluptate longos cruciatus emunt. Sapiens intelligit, quæ via, quis ſtatus, quis gradus, officium, occupatio, ſtudium, naturæ, indoli, propenſioni, viribus ſuis congruat & conveniat; ad bilancem æternitatis rationes examinat; ejus conſilia ſempiternum ſpectant. Contrarium agunt inſipientes; id amplectuntur, quod ſuadet ambitio, levitas, libido; vitrum & aurum ex eodem ſplendore æſtimant. Quid enim?

enim? feruntur impetu, non ratione; temerè velificantur, & incurrunt in ſcopulos, ubi certiſſimum naufragium. Quàm multi implicârunt ſe vinculis connubij, qui poſtea in perpetuis litigiis & mæroribus vixerunt! Subeunt curæ, catenatíque labores; tum illa quotidiana nænia:

Non poſſum tecum vivere, nec ſine te.

Neceſſitas premit, ferreo nexu adſtricta. Quàm multi Eccleſiaſtico ſtatui ſe addixerunt, vel ultro, pinguioris fortunæ causâ; vel inviti, ab ijs adacti, quorum reverentiæ omnia ſe debere putabant. Infeliciter: Clerici togâ tenus, ut quidam Philoſophi amiculo. Simia in purpura, felis in crocota; meliùs in ſago aut chlamyde inceſſiſſent. Et quid facit ingenium mechanicum inter linigeros choros? quid frugiperda inter Juris Divini, Humaníque conſultos? quid graculus inter Orpheos? Tu ſapientiùs, oſſa & quid humeri ferre valeant, expende; neque chamæleontem imiteris, qui colorem ducit à ſaxo, cui temerè adhæreſcit. Qui de via dubitat, interrogat peritiores. Gentiles olim colebant Janum bifrontem, quem viæ ducem appellabant, occipite & ſincipite oculatum; habes prudentiæ in eligendo ſymbolum, quæ ſic præſentibus

uitur, ut præterita & futura conſideret. Et ſi ullo in negotio opus eſt præſenti DEI auxilio, hîc maximè requiritur, ubi tot errores, quot diverſæ viæ; ſæpe occurrunt tortuoſi anfractus, è quibus ſe peregrinus Tobias ſine comite Raphaële haud expediat. Non raro decipit ipſa ſecuritas; ſæpe facienda ſunt vota, ut ille greſſus noſtros dirigat, qui eos in numerato habet; ut obſtacula removeat, & per bonas inſpirationes menti facem accendat, quæ cynoſuram oſtendat, quà navigandum; Pharon exhibeat, cujus portus intrandus. Et quia de Portu agimus, illa apud multos valuit comparatio à navi ſumpta: eſt navigatio longinqua ſuſcipienda; ad patriam enim cæleſtem, unde nos primorum Parentum culpa ejecit, tendimus; ſtant in littore complura navigia, alia malè quaſſata & armamentis ſuis deſtituta, alia firmiter compacta, & adversùs omnes cæli, maríſque injurias perduratura: quid tibi tunc conſilij, ſi ſolvendum? cui te committas navi? an debili, & parùm contra procellas munitæ? an robuſtæ, & ad vim ventorum perferendam factæ? in promptu eſt deliberatio; eligimus tutiorem. Hoc in ſtatu vitę deligendo factitandum; nam Bernardo teſte, *Nulla ſatìs magna*

eſt

eſt ſecuritas, ubi periclitatur æternitas. Vale, & bene ambula, benéque naviga, ut abſis procul à periculo naufragij.

VI.

Nobili Adoleſcenti
ANTONIO PHILIBERTO FACHINO.

De dignitate Linguæ Latinæ, ejúſque uſu retinendo.

QUæ tibi mens fuit die heſterna, Antoni, cùm in ſolenni convivio nobis aſſidentibus, quidam ex Convivis, homo, ut ſibi videbatur, haud inelegans, & peregrinarum linguarum gnarus, cæpit acriùs inſurgere adversùs uſum Linguæ Latinæ, eúmque ad ſcholas amandare, puerorum crepundia vocare, illius ſtudioſos Priſciani mancipia dictitare, aliíſque convitiis Latiales Muſas flagellare; indignum eſſe nobili ſanguine, ſe iſtis vocabulorum legibus ſubijcere; tempus in nugis his Grammaticis conterere; valetudinem in jejuna hac & ſuperſtitioſa *Pædanteria* (ita pro ſua elegantia loquebatur) affligere. Quid

enim tot *Præcepta*, *Regulas*, *Appendices*, *Exceptiones* aliud eſſe, quàm ingeniorum tormenta, & ætatis diſpendia? eſſe hoc vim naturæ facere, & indoli ad naturalem eloquentiam factæ capiſtrum ex Calepino, Nizolio, & Emmanuele Alvaro inijcere, liberam dicendi copiam odioſis repagulis coërcere. Ceteras linguas ludendo addiſci; Romanam verò tot legibus adſtrictam, tot nodis impeditam, tot erroribus & difficultatibus expoſitam, ut ei conſeneſcendum ſit in pulvere ſcholaſtico, qui vel ad mediocrem illius peritiam cogitet pervenire. Hæc, & plura alia, illo verboſè declamante, tu ſcilicet ruborem ducebas, & tacitâ modeſtiâ hominis importunitatem notabas: & quia negotia, parentis nomine curanda, aliò te vocabant, tum tu de menſa cum bona venia ſurrexiſti; ille verò perrexit plenis buccis uſum Latini ſermonis vituperare; ſtridula nare, peregrinóque ſibilo jam Gallicè, jam Italicè, jam Germanicè, verbis è Latio nonnunquam interjectis, propoſitum ſuum urgere, è communi colloquio, familiaribúſque epiſtolis Latinitatem proſcribere. Quis porrò finis illius diſputationis fuerit, deſideras ſcire? eum tibi breviter indicabo. Poſtquam ob-

obtrectator linguæ nobiliſſimæ ſatìs detonuit, rupit mihi indignatio vocem, & quamvis Latina lingua, nativis decorata laudibus, patrocinio meo non egeat, reſpondendum tamen duxi vituperatori ſermone vernaculo, cùm Latinè loquendo nollem hominem pudore afficere, leviter iſtis litteris tinctum, & ad eloquium Romanum titubantem. Ne verò quam moleſtiam aut faſtidium faceſſerem convivarum auribus, dextrâ potiùs in pugnũ contractâ, more Dialectico, quàm explicata manu, Rhetorum inſtituto, certandum putavi. Quid? ajebam, tu in illam Linguam inſurgis & dentes ſtringis, quæ apud omnes gentes & nationes in ſumma ſemper exiſtimatione fuit habita? quæ in ipſo Salutiferæ Crucis titulo à Servatore noſtro dedicata, & conſecrata? quæ omnes propemodum orbis angulos, ultimóſque fines occupavit? unde factum, ut, cùm Hebræa ſanctiſſima, Græca ſapientiſſima dicatur, Romana potentiſſima habeatur. Quid enim diffuſius Romanorum dominatu? quid clarius eorum victorijs & triumphis? cum imperio linguam propagârunt. Illam tu Linguam flocci facis, quâ Sacroſancta Salutis noſtræ dogmata & my-

ſteria ſunt tradita atque explicata? quâ Sacramentorum & Sacrificiorum formulæ conceptæ ſunt, & continentur? quâ Jura humana & divina, politiæ regula, æquitatis norma, ſalutis æternæ remedia ſunt perſcripta? Linguam, quæ ad omnes ſcientias & artes ſpectat; cujus beneficio remotiſſimi & disjunctiſſimi populi conjunguntur ac ſociantur; quæ hominem ingenuum præcipuè ornat & cohoneſtat, ſuóque tinnitu, cujus valoris ſit apud Muſas, prodit & probat; quæ hiſtorias docet, ritus & mores gentium explicat; multifariæ Eruditionis parens, altrix, educatrix eſt? ſine qua ceteræ linguæ, quas tu prædicas, quid aliud ſunt, quàm recrementa & colluvies barbararũ gentium, olim in Hiſpaniam, Galliam, Italiam ſe infundentium? Qui ſine linguæ Latinæ cognitione exteras regiones peragrat, abſque duce & abſque viatico iter facit. Quocunque terrarum venerit, ſignis ei (quod ſtrumoſis Alpinis in uſu) non verbis loquendum erit. Aulas ſuadeo & Principum aditus vitet, ne contingat ipſi, quod noſtra ætate accidiſſe dicitur cuidam Juveni Germano, genere nobili, formâ ſpecioſo, veſte ſplendido, ſed ingenio hebeti & Latinitatis ignaro. Hic cùm ad Pontificis Romani pedes deoſculan-

lan-

landos admiſſus, nec Italicè, nec Latinè reſpondere nôſſet, fertur in ejus diſceſſu Pontifex, ad ſuos Miniſtros converſus, dixiſſe: *hem ex Germania pulchram beſtiam?* quô enim alio nomine appellaret illum Sanctiſſimus Pater, qui Latinè neſciret ibi, ubi vel inſtar mutæ pecudis tacendum, vel Latino ſermone ſenſa animi tamdiu explicanda, donec ex olitoribus diſceret, panem Italicè petere. Nec mirum, noſtris temporibus ejuſmodi idiotas inveniri; jam olim Martialis, *lib.* 5. *Epig.* 50. ſalsè luſit in Notarium quendam, qui codicillis hinc & hinc prolatis, ſupercilio & vultu gravis, ſimilis Catoni, Tullióque incedebat; is tamen, fidiculæ licèt cogant, exprimere

AVE Latinum, χαῖρε *non poterat Græcum.*

Magnus ſanè horum Thraſonum hoc tempore proventus eſt, qui cùm vel laboris magnitudine deterriti, vel ingenio deſtituti, de comparanda peritia Linguæ Latinæ deſperârint, ſcilicet contemnunt, quod addiſcere nequierunt, & puerile judicant, quod ignorâſſe, barbatos pudet viros. At putidum eſt & ſervile, tot moleſtias & faſtidia ſubire, tot annos impendere, & florem ætatis inſumere in hac lingua diſcenda, & nunquam ſatis perdiſcenda. Et quid demum emolumenti, ajunt,

junt, percipitur, ſi quis Ciceronis ſimiolus aliquam ſupellectilem phraſium collegerit, & memoriæ mandârit, parcè & cum formidine lapſuum depromendam? Bella argumentatio! Nam ſi quælibet ars conſtat quibuſdam præceptis & regulis cognitis, unúmque finem ſpectantibus, ac nunquam fallentibus Tullio teſte, an id negabitur arti Grammaticæ? quam qui tenet, næ is noverit, ſine errore audenter loqui, ac ſcribere. Difficultatem objicit adverſarius: qualem? quam etiam pueri ſuperant: an non omne pulchrum eſt arduum? apage te à Muſarum januis, ſi aſcenſu terreris illius montis, in quo præter Heſiodum nullus alius factus eſt Poëta dormiendo. Dij vendunt omnia laboribus, etiam Linguam Latinam, quæ ne fiat textoribus & tonſoribus communis, aculeis, ut erinaceus, eſt munienda: non enim omnibus conceſſum eſt adire Corinthum; propitiam, neceſſe eſt, ut habeant Minervam, qui hoc iter tentant.

Ut igitur concludam, quæ dixi, cùm Lingua Latina ſummis ſit laudibus apud omnes gentes celebrata, Divinorum oraculorum interpres, Sacrorum myſteriorum cuſtos, humani commercij vinculum, Religionis & Legum firmamentum, Reipubl. ornamentum, juven-

juventutis decus, proveꝺioris ætatis dignitas, ſcientiarum clavis, rerum cognitu jucundiſſimarum conſervatrix; & incorrupta memoriæ miniſtra: hæc, inquam, cùm ita ſe habeant, viderit ille, cui Latinæ Muſæ vileſcunt, num hominis prudentis ac ſapientis nomen & auctoritatem tueri poſſit; num, linguæ nobiliſſimæ uſum vituperando, non cenſeatur allatrare Lunam, & in meridie cæcutire. Mihi quidem haud immeritò inſcitiæ ſuſpectus eſt, quiſquis contra hunc torrentem nititur, & pede ſuo metitur Herculis veſtigia, hoc eſt, omnium Veterum & Recentium, de Lingua Latina præclarè ſentientium judicia. Utinam ſuperiore ſeculo non ita contempta, neglectáque jacuiſſet; tot monſtra & verborum prodigia ex barbarie in eam invecta non fuiſſent; tot illius ſimul & juventutis corruptores ſcholas non aperuiſſent, & bonos mores cum bonis litteris infeciſſent. Diſputationis hujus exſpectas exitum? Hæc paullò vehementius me diſſerente, cœpit ille ſtrophio frontem tergere, barbulam vellicare, humeros ſuccutere, & hoc unum denique effari: *Suum cuique pulchrum*: cúmque *Vale* dicto ſuccingere ſe gladio, atque ad ſphæriſterium ad pilæ luſum properare; in hac enim arte excel-

excellentiam profitebatur. Attentiſſimè hæc audiebant convivantes, & ſupra quodvis acroama Sympoſiacum ſe accipere dicebant. Ego, rogatâ prolixioris diſceptationis veniâ, me quoque ex triclinio extuli, domum conceſſi, feſtinante calamo tibi perſcripſi, quæ erant inter nos diſputata. Quæ ſpero tibi ſuffectura, ut, quâ litterarum ſtudiis alacritate adhuc deditus fuiſti, pergas te ipſum magìs ac magìs perficere, & *Linguam Latinam* pro *domina*, ceteras, (quarum haud ignarus es) tanquam famulas & pediſequas agnoſcere. Vale, & ubi deſperaverunt alij, ibi trophæum fige.

VII.

ILLUSTRI VIRO

CAROLO PHILIPPO L. B. à Campo-largo, Domino in Villa-longa &c. Salutem.

Num filius in exteras regiones mittendus.

AD Quæſitum, Illuſtris & Generoſæ Dominationis Tuæ, an filius peregrè in alienas

lienas terras mittendus ſit, ſenſum meum his litteris aperio. Qui politicâ prudentiâ excellunt, in duas fere ſententias abeunt: alteri negant conſultum eſſe, ut adoleſcentes nobili genere ſati peregrinas regiones inviſant: alteri contendunt, laudabile eſſe, longinquas luſtrare provincias, multorum hominum mores vidiſſe & urbes. Illi pro ſe afferunt majorum noſtrorum conſuetudinem, qui, ne viriles Germanicæ juventutis animi infringerentur apud molliores nationes, eam domi ſub arctiore diſciplina continebant, armis exercebant, ludis equeſtribus inſtituebant, laboribus indurabant, frugalitatem in victu, modeſtiam in habitu, ſimplicitatem in dictis & factis edocebant, nec aliam fere linguam, quàm vernaculam, ab ijs ſciri volebant; patrios ritus & religionem ne immutarent, ſeverè curabant. Hinc illa Germanorum decantata laus à fide, à conſtantia, à pietate, à fortitudine, ab integritate: unde exiſtebant matrimonia caſta, ſoboles certa, cuſtodia legum, rei familiaris incrementum. Ex quo verò tempore noſtri juvenes cœperunt peregrinos adire populos, exteros videre mores, induere veſtes, addiſcere linguam, retrò omnia lapſa ſunt; majorum ſinceritas

& probitas infuſcata. Jam olim queſtus eſt Romanus Sapiens, per externas diſciplinas frugalem populi Rom. vitam ac virtutem fuiſſe corruptam; cum Græcis & peregrinis moribus in civitatem irrupiſſe mollitiem, luxum, gulam, & omnia turpitudinis genera. Idem & noſtro ſæculo contingit: Juventutis Germanicæ magna pars nihil præter ſuperbiam, luxum, pompam, ac ſplendidam veſtem, nihil præter morbos ac ſcabiem refert domum; artes nullas præter aleatoriam, gladiatoriam ac ſaltatoriam; contemptum inſuper popularium, quaſi civilitatem & rerum prudentiam ipſi ſoli poſſiderent. Hic fructus peregrinationum; ſcalpunt parentes caput ob impenſa, & malè profuſa patrimonia. Quæras cum Seneca epiſt. 104. Quid illis peregrinatio ſua profuit? Non voluptates illa temperavit, non cupiditates refrænavit, non iras repreſſit, non indomitos amoris impetus fregit, nulla denique mala animo eduxit; ſed ut puerum ignota mirantem, ad breve tempus, rerum aliqua novitate detinuit, eique novas montium (ego veſtium dixerim) formas oſtendit. Sed præ Seneca ſapiente audiendus ſapientiſſimus Regum Salomon, qui Prov. 27. v. 8. iſtos juvenculos

ad

ad longinqua itinera anhelantes comparat avibus, deſultoria levitate de loco in locum tranſilientibus: *ſicut avis*, inquit, *transmigrans de nido ſuo, ſic vir, qui derelinquit locum ſuum*: aves enim, dum transvolant, dum nidos ſuos variant, dum hinc inde feruntur, ſæpius incidunt in retia, quibus implicantur; in jacula, quibus confodiuntur. An aliud agunt iſti regionum diſcurſores, dum longâ & ſumptuosâ peregrinatione, mille ſalutis animæ, corporíſque diſcrimina adeunt? hoc pretium longinquæ viæ, & ingentium impenſarum ferunt, ut deteriores ex alieno ſolo redeant. Primò omnium decoquitur probitas, & honeſtas morum; tum cum lingua peregrina referuntur in patriam fraudes & fallaciæ, & mille decipiendi artes. Vetus Poëta Horatius canebat,

Cælum, non animum mutant, qui trans mare currunt.

Et cælum (inquiunt iſti peregrinationum diſuaſores) *& animum mutant, qui trans mare currunt*, in exteras regiones proficiſcuntur, domúmque redeunt, non magìs marſupio, quàm bona mente vacui: nam ut aquæ per ſulphureas venas ductæ corrumpuntur, ita fit, ſi cum Germanâ ac Germanicâ ſince-

ritate miſcetur peregrina calliditas, aſtutia, vafrities, verſutia. Plura in hanc rem ab illis diſputantur, quæ quoniam in circulis & menſis jactantur, non eſt neceſſe pluribus referre.

Alterum nunc caput hujus diſputationis aggredior, & quàm commendabile ſit, nobiles adoleſcentes ad peragrandas exteras regiones mitti, rationes adduco. Princeps argumentum Siracides ſuppeditat, qui de Sapientiæ ſtudioſo loquens, *In terram*, inquit, *alienigenarum gentium pertranſiet; bona enim & mala in hominibus tentabit*, cap. 39. v. 5. Sapientiæ quippe amator in gentibus quibusque explorabit, num quid boni habeant, illúdque ſibi accerſet; ſi quid verò mali deprehendat, ab eo ſibi cavebit; bona ſcrutabitur, ut ſectetur; mala, ut evitet. Atque hæc cauſa eſt, cur Plato aliíque viri docti peregrinationes longinquas ſuſceperint, quò ſapientiores domum redirent: ſemper foris invenitur, ac deprehenditur, quod domi inventum, deprehenſúmque non fuiſſet; impenditur tempus, impenduntur pecuniæ, major eſt tamen, qui inde provenit quæſtus. Sapientiam hac pecunia venalem dixeris, & quocunque impendio emendam. Hunc peregrinatio-

nationis fructum Homerus in Ulyſſe Græcorum prudentiſſimo propoſuit, de quo in Odyſſea canens, ſic exorſus eſt:

ΑΝΔΡΑ μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον

Virum dic mihi Muſa multiformem, callidum & expertum. mox ſubjungit cauſam:

Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω:

Multorum autem hominum vidit urbes, & mores novit. Peregrinatio gignit experientiam; hæc parit prudentiam ac ſapientiam. Peregrinando multa & varia videre, audire, cognoſcere, experiri licet, quæ domi inter populares, ſervos aut ancillas haud adipiſcimur. Et quis jam Nobilium Juvenum ad Principum Aulas admittitur, aut aliquem in ijs numerum implet, qui non cum Ulyſſe populos vidit & urbes; qui non ſit multiformis, & callidus, ſciátque pro re nata in omnes ſe vertere formas, locóque ſervire & tempori? Quis ullo in honore habetur, niſi quem linguarum peritia commendabilem facit? qui noverit officiorum elegantias, verborum ceremonias, corporis inflexiones ac geſtus; artem ſaltandi, & equitandi calleat? qui à legatis & hoſpitibus non modò accipiat peregrinæ linguæ voces, ſed eas quoque ſcitè peritéque reddat. Hæc qui ſcit, elegans repu-

putatur, & honoribus dignus; qui neſcit, velut agreſtis Mopſus, ab ipſo etiam gynecæo ridetur, ab Aulica familia exploditur; qui, cùm in colloquium venitur, aliud, de quo diſſerat, non habet; quàm de lepore in proximam ſilvam à cane agitato; de bobus aratrum fortiter trahentibus; de gregibus ovium in bona paſcua actarum; de ſtabulis equorum ad præſepia ſat commodè ſtantium. Tanti intereſt perluſtrâſſe regiones, & elegantias nobili vel illuſtri juvene dignas addidiciſſe. Unde non immeritò homines iſti feruntur in oculis Principum, ad præfecturas & gubernacula Reipub. evehuntur, ad munia quæque & honores ampliſſimos promoventur. Neque eſt, quòd quiſquam priora ſæcula & mores objiciat: *Tempora mutantur, & nos mutamur in illis.* Noſtros nunc vivimus annos; noſtris calemus Solibus; multa poſterior docuit dies, quæ prior neſciebat. Laudetur priſca ſimplicitas, modò ne contemnatur politior civilitas; aluerint prolixa barbitia veteres Teutones, num vituperabis, ſiquis hanc ſilvam circa mentum reſecandam & quaſi interlucandam exiſtimet? geſtaverint illi machæras & romphæas latas & longas;
num

num poſteris non liceat uti gladijs breviori-bus,tractabilioribus ad pugnam? ſagittas illi & jacula ab arcu emiſerint; ſine ephippijs e-quitârint, fictilibus tantùm vaſis cibos intu-lerint; num ideo ſequenti ætati tormenta bellica excogitare, glandes plumbeas & fer-reas è fiſtulis jaculari, ſellas equeſtres adhi-bere, è ſtanno vel argento lances & ſcyphos conficere, non ſit conceſſum? Redeat verò è longinquis oris non rarò domum juventus Teutonica paulò levior; videatur peregrinam quandam, vanitatem dicam, an luxum, præ-ſeferre; deſpumabit cum tempore hæc ebul-litio; luxuries iſta, velut in vitibus folia, pampinabitur: cura liberorum, ſuſtentatio familiæ, illuſtris proſapiæ dignitas ac con-ſervatio, uxoris imperia & querelæ reducent frugalitatem, & eos, qui peregrè fuerunt profuſiores,docebuntur domi rei familiari at-tentiores eſſe. At ego, dum hæc ſcribo, ſentio me profuſiorem temporis, & æquô prolixiorem; finio; ſiquid peccavit longior epiſtola, tantò faciliorem huic culpæ veniam promitto, quantò ex majore obſequiorum erga Gratioſam Dominationem Tuam ſtudio profecta eſt. Commendo me perdemiſsè, & longam vitam ac felicitatem opto. Quæ

ſcripſi, ſic intelligi volo, ut rationum utrinque velut in lance ponderatarum, tua perſpecta prudentia libripendem agat. Omnia fauſta ac feliciora precor, cùm Generoſæ Dominationi tuæ, tum toti illuſtri familiæ.

VIII.

WUNIBALDO STAGNANO
J.U. Studioſo.

χαίρειν, ſeu *Gaudere.*

CÆteris ætate tibi æqualibus, tanquam laſcivientibus equorum pullis, inijciendum eſt frenum, ne licentiùs exultent, & repagula perrumpant; Tibi, quoniam ſubtriſtiore ſidere natus videris, remittendæ ſunt habenæ, & ſeverior naturæ genius laxandus, pluſculum indulgendum animo. Ingenui hominis, præſertim juvenis eſt, modeſtæ & liberali hilaritati ita ſe permittere, ut inter adſtrictionem & diſſolutionem medium obtineat, in quo virtus conſiſtit. Ad honeſtam jucunditatem hac epiſtola excitare Te cupio. Id quod non uno in loco ſuorum Proverbiorum jam olim fecit Magiſter morum optimus Salomon

lomon, inter cujus Effata ſapientiſſima etiam hoc eſt: *Animus gaudens ætatem floridam facit; ſpiritus triſtis exſiccat oſſa*, Prov. 17. v. 22. Manus ſubinde removenda de tabula, & valetudini conſulendum. Cato Romanæ Curiæ lumen, tametſi à ſeveritate nomen accepit, tamen *Gratiis* per intervalla temporis litâſſe fertur, ejúſque familiaris verſiculus fuiſſe:

Interpone tuis nonnunquam gaudia curis.

Et quidam Poëtarum canit:

Quod caret alterna requie, durabile nō eſt,
Hæc recreat vires, feſſáq; membra novat.

Arcus niſi remittatur, aut lenteſcit aut rumpitur: quid gravius illo Joanne, quid modeſtius, quem Chriſtus ipſe ſibi morienti aſſiſtere voluit? & tamen inter tot Eccleſiæ Aſiaticæ curas familiariùs cum cicure perdice luſitâſſe memoratur; admiranti id cuidam venatori, arcum laxatum ex humeris ſuſpendenti, nempe, reſpondit, pari ratione corpori ac animo aliquid laxamenti concedendum. Quid quòd DEUS ipſe, ſupremus rerum Moderator, ſeptimo conditi orbis die quievit; quo docuit, hominem à laboribus & curis animum remittere debere, ut inſtauratis, collectíſque viribus promptior & paratior ad occupa-

cupationes ſuas redeat : neque enim duro ſumus Caucaſo exciſi, neque ferreis fibris compacti,ut,nulla nobis quiete indulta,continuum cum Siſipho volvamus ſaxum, aut inſtar jumenti piſtrinenſis verſemus molam. Adde, quod Siracides monet c. 30. v. 15. *Melius eſt corpus validum,quàm cenſus immenſus.* Quid enim juvent opes & Gazæ Perſicæ, ſi corpus jaceat languidum, & laboribus exhauſtum? juxta Poëtam à Dijs petenda eſt *mens ſana in corpore ſano.* Multis cerebrum evertit nimia ſciendi cupido, & collectus ex litteris pallor. Neque ſine cauſa Muſæ in Choros diſtributæ, voce, fidibus, fiſtulis canere dicuntur; oderunt tetricum, moroſum, aſperum, ab omni liberaliore remiſſione abhorrentem; triſtem, dejectum, tanquam ex Trophonij antro prodeuntem. Monſtrum eſt juvenis, more Stoico caperata fronte incedens, vires deterens, & præproperam ſibi ſenectutem accerſens. Neque tamen, quod jam indicavi, deflectendum vel ad dextram, vel ad ſiniſtram; id quod carpit Satyricus in duobus philoſophis, lætitiâ & triſtitiâ excedentibus: ſcilicet de Sapientibus alter.

Per-

Perpetuo riſu pulmonem agitare ſolebat
Democritus--flebat contrarius alter,
nempe Heraclitus, uterque ſtolidè; alterum nimius fletus, alterum riſus ridiculum faciebat. Inter utrumque incedendum: animus *gaudens*, ait ſacer adagiographus, non intemperanter in lætitiam effuſus, non juvenili laſcivia tranſversùm actus, non jucunditatis & relaxationis in rebus parùm honeſtis ſectator, nòn inconceſſæ ſe voluptati permittens, non gaudiis, quæ florem ætatis corrumpunt; tantùm abeſt, ut *floridam ætatem faciant*, ut potiùs valetudinem deſtruant, honeſtatem proſtituant, bonos mores peſſundent, *ſpiritus triſtes* ex mala conſcientia relinquant. De quorum relaxatione ac ludis præcipiens Tullius lib. 1. officiorum, in hæc verba proloquitur: *Atque etiam adoleſcentes, cùm relaxare animos, & dare ſe jucunditati volent, caveant intemperantiam, meminerint verecundiæ.* Alterum eſt, quod idem docet, *ut nihil in ludendo fiat immodicè; ludo námque perinde uti convenit, ut medicinâ, ut ſomno, ut quietibus ceteris:*

Eſt modus in rebus, ſunt certi deniq; fines,
Quos ultra prodire nefas. Horat.

Ludo animus remittendus, non ſolvendus;

etiam in luſu honeſto damnoſa conſuetudo habetur, ſi intempeſtiva. Servile & ſordidum eſt, jucunditatem ex ſcurrilibus jocis captare, poculis ducendis dies comburere, nocturnis diſcurſationibus vicos & plateas oberrare, lucrum in alea ſectari, pugnis & rixis alternas iras provocare. Hunc ludum exitiabilem Hebræi quondam luſerunt, quando vitulo, ex collatitia auri maſſa conflato, divinos honores habuerunt, & cibo potúque diſtenti, ſurrexerunt ludere, *1. Exod. 32.* choreas ducere, bacchantium ritu, tripudia cum inconditis clamoribus celebrare. Apage te cum hac temulenta inſania; hoc non eſt *ludere*, ſed DEO illudere, & fulminantis minas irritare; deteſtabilis ludi exitus fuit interfectio trium & viginti millium hominum. Haud ſanè meliorem ludum inſtituerunt *Abner* & *Joab*, 2. Reg. 2. ſupremi belli Duces, cùm fortiſſimos militiæ ſuæ juvenes juſſerunt, gloriolæ vanæ captandæ gratiâ, in arenam deſcendere, & infeſtis armis inter ſe concurrere. Funeſtum verbum! *Surgant pueri, & ludant coram nobis.* Siccíne ludus eſt, & jucunditas, ſpectare, ſtrictis pugionibus, nobiles ephebos & florenti ætate dignos, ſeſe gladiatoriæ voluptatis causâ hoſtiliter petere, & ut

pla-

placeant Ducibus, vitam ſine hoſte proijcere? In eo certamine duodena paria, mutuis confoſſa vulneribus, denique totum exercitum in cruentam pugnam rapuerunt. Hunc ludum illi ludunt, qui vel temulentiâ, vel irâ, vel jactantiâ correpti, proſiliunt ad arma, committunt duella, & ſanguine manus, luctibus paternas domos implent. Alijs longè ludis explicandus eſt animus; vires ingenua oblectatione reficiendæ; moleſti curarum ſtimuli à pectore removendi; angores & ſolicitudines vulturi Promethei relinquendi; jecur arrodunt, & miſerè cor exedunt: *Ægritudo*, inquit Seneca lib. de vita beata. c. 5. *in ſapientem virum non cadit; ſerena ejus mens eſt, nec incidere poteſt, quod obducat; nihil æquè hominem, qàm magnus animus decet; non poteſt autem magnus eſſe idem, ſi metus & mœror obducit & contrahit.* Quidam mæſtitudines & tetricas curas capiti Gorgoneo comparavit, undique ſerpentibus cincto, & ipſo aſpectu horrorem incutienti; hîc opus Perſei gladio, & clypeo à Pallade ſuppeditato; perimenda hæc monſtra præſidio è litteris hauſto, & animus ſapientûm dictis adversùs inanem metum, fallacem ſpem, impor-

portu-

portunam triſtitiam obfirmandus, monet Lyricus:

Albus ut obſcuro detergit nubila cælo
Sæpe Notus, neque parturit imbres
Perpetuos, ſic tu ſapiens finire memento
Triſtitiã, vitæq́ labores. Horat.l.1.Ode 7.

Graviter Eccleſiaſtes cap.3.v.12. *Et cognovi, quòd non eſſet melius, niſi lætari, & facere bene in vita ſua.* Nempe ſola virtus gaudium præſtat verum ac ſolidum: Seneca teſte, talis eſt ſapientis animus, qualis mundi ſtatus ſupra lunam

Perpetuum nullâ temeratur nube ſerenum.

Quæris unde hæc ſerenitas? reſpondet idem, ex animo bene conſcio, ex honeſtis conſiliis, ex rectis actionibus, ex contemptu fortuitorum, ex placido vitæ & continuo tenore. Hoc fac, & vives imperturbatus, nullis rerum triſtium larvis terrendus, nec vanis imaginibus illudendus. *Vale*, & juxta Apoſtolum: *Gaude cum gaudentibus.*

IX.

IX.

ANTONIO SILVIO Adoleſcenti,

Amicitiam malè initam, citò diſſolvendam eſſe.

NImis ſerò doles, in charybdin te incidiſſe, Antoni, & pro Achate fido, neſcio quem congerronem tibi aſſociâſſe. Omnia communia cum ipſo habere deſiderabas; habuiſti, nempe vitia & malos mores: in fronte Gratias videbatur præferre; expertus es Veneres in ore ſpurco ſeſſitantes; apem credebas mella congerentem, nunc ſentis aculeos: hunc errorem tibi imputa, qui verbis meis non auſcultâſti, non ſemel te amicè hortantis, ut priùs *Deligas*, quem *Diligas.* In hanc amicitiam inconſulto te impetu conjeciſti; implicatiùs nunc hæret nexus, quàm ut ſine violentia te expedire poſſis; Pirithoo te adjunxiſti Theſeum, quocum ad inferos deſcenderes. Nimirum blandis ſermonibus te deceptum, & in Labyrinthum inductum ſcribis. Nunc quid agas? Catonis quidem monito, amicitiæ malè coalitæ, ſenſim diſſuendæ ſunt,

ſunt, non ſubitò diſcindendæ. Ego verò tibi Auctor ſum, ut hanc ſocietatem quamprimùm abrumpas; eſt enim *periculum in mora*. Diſſolve, imò rumpe hos funiculos, ne in funem denſentur. At difficile eſt, ais, ſinceros à fucatis amicis diſcernere, nam juxta Salomonem Prov. 29. *Homo, qui blandis fictiſque ſermonibus loquitur amico ſuo, rete expandit greſſibus ejus.* In hoc ſe rete multi induunt, præſertim adoleſcentes, antequam nodos advertant. Audi, quædam tibi indicabo ſigna, è quibus diſces, amicos probos ab improbis dignoſcere. Eſt quis audax, & gladiatorio genio præditus; amicitiâ dignus ducitur, quia manu promptus. Alius parentûm fortunas dilapidat; in amicum eligitur, quia liberalis. Leges alius contemnit, diſciplinam ſpernit, moderatorum & parentum monita, minas, reprehenſiones, promiſſa nihili, vel parvi facit; in amicitiam ſe inſinuat, apud libertatis amantem. Compotationibus & ludis indulget alius; meliùs laniſtas, caupones, ſaltatores, cupedinarios, quàm Præceptores ſuos novit; in amicitiam recipitur, quia creditur elegans. Alius jocis perfluit obſcœnis, ridet Sacra, flagitia ſua ſalibus excuſat inſulſis, protervis, petulantibus, naſo gaudet alios

alios ſuſpendere ; ejus placet conſortium, quia acutus, facetus, urbanus putatur. Fuge has amicitiæ peſtes ; nocent maximè, cùm maximè placent. Platone teſte, amicitiæ ſunt firmiſſimæ, quæ à teneris annis coaleſcunt : difficulter ſepares, quos non modò ætas, ſed etiam mores conjungunt. Verè Siracides cap. 6. *Ab inimicis tuis ſeparâre, & ab amicis tuis attende.* Lælius apud Ciceronem *de Amicitia*, docet, *eam nullo eſſe ſcelere colendam* ; eſt enim turpe & inhoneſtum, quidquid virtute non nititur, communi verbo : *Amicitia aut pares accipit, aut facit:* qui tangit picem, inquinabitur ab ea. Amicus eſt Plato (inquiebat Ariſtoteles) ſed magìs amica veritas ; amicus Pylades, amicus Oreſtes, ſed citra offenſam DEI. Et quia *Amicus* dicitur *alter Ego*, vide, quam perſonam induas, cùm te lenonis alicujus, aut hiſtrionis, aut gnathonis non tantùm amicum, ſed etiam *alterum ipſum* jactas. Ut uva livorem ducit ab uva, ſic ætas tenerior corruptionem à ſocio ; *ah quoties eſt homo homini lupus*, dum bene ſtantem ſecum in præcipitium rapit ! ſub amici larva latet innocentiæ prædo. Si ſapis igitur, tam infidam amicitiam, vel generosè abrumpe, vel Alexandri Macedonis gladio

uno ictu diſcinde. In poſterum conſultiùs amicos adſciſce, memor illius gnomæ Pythagoricæ: *Ne cuivis dextram iniicito*: explora mores illius, cujus te ſimilem velis. Inter falſos amicos Eccleſiaſticus c. 6. recenſet eos, qui nidorem culinæ ſequuntur: *eſt amicus*, ait, *ſocius menſæ, & non permanebit*; à corio, ut canis, non abſterrebitur uncto: quamdiu nummulus tinnit in marſupio, ſtrident organa aſſaria, denſiùs fumat caminus, fervent ollæ, tamdiu fervet amicitia; hæ ſi frigeſcunt, frigent ſalutantium, ambientium, deducentium officia, dilabuntur vacuatâ lagenâ compranſores infidi. Hos tu, tanquam peſtilens contagium fuge, & Poëtam audi:

Hunc, quem vina tibi, quem menſa paravit amicum,
Eſſe puta fictæ pectus amicitiæ.
Vinum amat, & Cyathos, & ſumina, & oſtrea, non te:
Sublato vino nullus amicus erit.

Optimè dixit, qui ajebat, Amicitiam illam, quæ inter pocula contrahitur, vitream eſſe.

.... Diffugiunt, cadis
Cum fæce ſiccatis, amici,
Ferre jugũ pariter doloſi. Hor.l.1.Od.35.

Satìs,

Satis, credo, ex his intelligis, quò tua te temerariè inita cum homine improbo familiaritas adduxerit; quàm propè abfueris ab exitio: &, niſi fallor, audio gemitus oris & pectoris pravitati indolentis. Habes, quòd agas gratias benigniſſimo Numini, qui te, in luto altiùs hærentem, ſingulari favore extraxit. Et unde hæc gratia? Libet uſurpare verba, Sap. 4. *Placita enim erat DEO anima illius; propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.* Agnovit hoc olim Auguſtinus ille, qui qualis in juvenili ætate fuerit, in *Confeſſionibus* ſuis ſparſim prodit, & errata ſua palàm orbi facere non dubitat: quem librum tibi ſedulò pervolvendum ſuadeo; experieris Spiritum DEI intus agentem, & illas *Nugas nugarum*, quibus ad inſaniam captus fuerat, diſcutientem. Ego plura non adjungo; ad illum Doctorem te remitto, unde copioſiùs hauries, quàm ſicca hæc epiſtola docere te poſſit. Impono finem meæ parænefi, & animitus opto, ut, qui ſecutus es errantem, ſentias pœnitudinem & affectum reſipiſcentis. Ipſe jam victor ſuî de ſe teſtatur lib. 9. *Quàm ſuave mihi ſubitò factum eſt, carere ſuavitatibus nugarum? & quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium*

E *erat.*

erat. Plura in hanc ſententiam ipſemet legei ibidem. Vale, & ut illud, non tam de Scævolæ aberrante dextera, quàm Auguſtini errante juventute epiphonema, in te conveniat, enitere:

Si non erràſſet, fecerat ille minùs.

X.

EUSEBIO FRONTINO Tironi Religioſo,

Salutem, & perſeverantiam.

VEnit nudius tertius ad me mater tua madentibus oculis; cauſam lacrimarum rogata reſpondit, ſe ex Viro gravi, Ordinis Religioſi, cui nuper te addixiſti, percepiſſe, tibi & ſaluti tuæ meritò timendum eſſe, quòd videaris cum uxore Loth ſpectare retrò, eóque, unde laudatiſſimè diſceſſiſti, periculoſum reditum meditari. Dixi, meliora de te ſperanda: nihil eſſe novi, Tirones Religioſos diverſis motibus jactari, & ſæpius inconſtantiæ ſpiritu tentari. Subjunxit illa: ah utinam meliora de filio meo! utinam vel nunquam me matrem viduam deſeruiſſet, vel in arrepto

pro vitæ ſacratioris inſtituto non titubaret, & ſuâ inconſtantiâ luctus meos augeret! quibus non ſine profundo gemitu dictis, oravit me, ut adhortatoriam tibi epiſtolam ſcriberem, & ad perſeverandum inducerem. Collaudavi hunc animum in *muliere forti*, eámque D. Monicæ comparavi, quæ filium ſuum Auguſtinum, magnis paſſibus ad Orcum properantem, lacrimis ſuis ſervavit. Ego, tametſi ſaniora de te mihi promitto, nolui tamen deeſſe optimæ matronæ precibus, ideóque te pro veteri affectu confirmandum duxi, ſi vacillares; ſpero, ea te mente meos hortatus admiſſurum, quâ ſolebas aliàs meis dictis auſcultare & ſalubria monita æſtimare. Mi Euſebi, exemplum conſtantiæ in ipſa matre tua habes; mulier eſt, vidua eſt; quid mollius hoc ſexu? quid genitrici dulcius, quàm filius? quid viduæ magis neceſſariũ, quàm ſolatium, quo relevetur? quàm ſuſtentaculum, quo nitatur? Et tamen propter DEUM æquiſſimo animo relinquit filium, ne filius relinquat DEUM. Recordaris illius temporis, quo paternis laribus excedens, generoſam illam vocem ex Pſalmis protuliſti, Eja valete mundi retia; *Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus!* Collacrimantibus ad ea verba dome-

 ſticis,

ſticis, tu ſolus hilari vultu, exporrecta fronte, lætanti animo ſtetiſti, & tergum ſiccus flentibus vertiſti. Quòd ſi redires, quo quæſo vultu illorum vultus perferres? quis non tacitis ſaltem oculis tuam tibi inconſtantiam exprobraret, mollitiem accuſaret? quis non Evangelicum illud tibi objectaret? *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno DEI.* Luc. 9. Et nónne, cùm ad Religioſa clauſtra abiturires, illud tibi ex Siracide recitavi? *Fili accedens ad ſervitutem DEI, ſta in juſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem*, Eccli. 2. Mancipaturus te obſequio divino, para te contra hoſtes, & tentationes, quæ mox ingruent, téque invadent. Laceſſet *Caro, Mundus, Dæmon*; uno hoſte devicto, conſurget alius, atque alius, & impetum faciet, ad ſua te caſtra reducere contendet. Tirocinium militiæ ſacræ adijſti; ignavus es, ſi refugis exerceri, & in certamen cum hoſte venire. Tentatio virum oſtendit; vaſorum firmitatem fornax probat. Auguſtinum penè deſperantem de meliore vita, animavit è cœlo ſpectaculum puerorum, ac puellarum, palmas & lauros manibus tenentium; ſimúlque auditus ſonus epinicij: *Potuerunt*

iſti

iſti & iſtæ, & tu non poſſis? Tunc temporis arduitas continentiæ in diverſas partes trahebat; eóque quaſi ſub onere anhelantem, & de victoria diffidentem, excitavit ad fiduciam Vox cæleſtis, atque intueri juſſit tot millia caſtorum, caſtarúmque adoleſcentûm, præmium ex hac palæſtra referentium. Idem tibi, mi Euſebi, occino; *potuerunt iſti & iſtæ, & tu non poſſis?* an non æquè carne & oſſibus compacti; non ex eodem luto ficti; non diverſis deſiderijs agitati? an ideo ceſſerunt arduo certamini? an deſponderunt animum, abjecerunt clypeum, & hoſti ſe victos dederunt? Minimè verò: acriùs reſtiterunt, fortiùs pugnaverunt, glorioſiùs palmam reportârunt. Hæc exempla te provocent; hæc tuam imbelliam ſtimulent, & ad æmulandum incitent. Neque eſt, quòd mireris, te vehementibus impulſibus ad jugum ſervitij divini excutiendum inſtigari; *Regnum cælorum vim patitur*; vincenti manna cœleſte datur. Conſidera, quæſo, quot juvenes & adoleſcentes, nobiles, eruditi, divites, naturæ fortunæque donis affluentes, tibi coævi, rerum caducarum ſpretis illecebris, rigorem monaſticæ diſciplinæ, non minore fortitudine ſuſceperint, quàm conſtantiâ ſuperârint.

Delicatus miles es, ait S. Chryſoſtomus, Serm. de martyr. tom. 3. *ſi putas, te ſine pugna poſſe vincere, ſine certamine triumphare.* Sibilus eſt *ſerpentis antiqui*, qui inſpirat tibi, ut *mittas te deorſum*, à ſancta *Vocatione* reſilias, de *cruce deſcendas*, ex clauſtro abeas, & ex portu ſalutis in fluctus fallacis Mundi te reijcias. Tentationes iſtæ, quibus infeſtaris, argumentum ſunt, te unum ex Electis, Deóque charis amicis eſſe; *cribrandus es*, ut à tritico ſecernatur palea. Quos dæmon ſecurè poſſidet, non impugnat; ijs inſultat, quorum virtutem odit. Dictum eſt D. Hieronymi in c. 4. Matth. *Niſi jejunare cœpiſſet Dominus, tentandi occaſio non fuiſſet diabolo.* Quare ne cede his inſultibus, néve animum deijce; quod tibi contingit, id pleriſque aliis, DEI famulatui ſe dicantibus, uſuvenit; tetras eis larvas obijcit orcus, ut abſterreat à ſanctis propoſitis, à virtutis ſtudijs, à via cœli. Perfer & perdura; jugum Chriſti jam videtur grave & intolerabile inexperto tyroni; ſuave fiet & leve exercitato militi. Curſorem in ſtadio te eſſe cogita; nec oculos, nec pedem licet à meta reflectere; omnem contentionem bravium deſiderat, nec niſi perſeveranti dabitur. Ad hæc Aſcetica vita, Athletica eſt; nihil turpius,

pius, quàm ex ipſa arena fugere. In hac *Adverſarius eſt diabolus*; validos lacertos oſtentat; idem tamen eſt, ſive in giganteam molem aſſurgat, ſive in pumilionem decreſcat; minari poteſt, cogere non poteſt; tu contra hunc antagoniſtam fer pectus animoſum; vicit, qui ſeriò voluit vincere; quod viribus nequit perficere, præſtigijs obtinere contendit; vanas imagines obijcit, paradiſos in aëre pingit, omnem Mundi pompam in conſpectum dat, & quæ ſua non ſunt, etiam tibi, ut olim Chriſto ſupra templi pinnaculum exiſtenti, promittit, ſed mendaciter; ludificat: Junonem cum Ixione videris apprehendere; ſi brachia in amplexum ſtringis, inanem nubem aut nebulam includis. Quid quòd agyrta hic etiam nuces ſpargit, ut puerorum crepundijs viros quoque capiat; viles oblectatiunculas ob oculos ponit, & tanquam Voluptatis amphitheatra ſtatuit, quæ tamen mox in fumum & ventum abeunt. Poſſem exemplis præſentibus uti, niſi conſiderem, tuam iſtam inconſtantiam nondum eò proceſſiſſe, ut ad te erigendum pluribus fulcris opus ſit. Hoc interea ſuadeo, ut nihil in hac turbida aqua novorum conſiliorum moveas, & limum, ut dicitur, altiùs è fundo evoces; permitte

ſpatium animo; ultrò deſidebit hæc turbulenta commotio, séque in clarum ac illime purgabit. Vale, & à te, nubibus obducto, ad te ipſum ſereniorem provoca.

XI.

SIMEONI GERONTIO,

De Spe, à filio immorigero fruſtratâ.

E Familiaribus cujuſdam litteris intellexi, te vehementi mœrore oppreſſum, ob filium degenerem, & ſpes de ſe conceptas improbè fallentem. Is, velut aurora, roſeo reſplendens vultu, clarum promittebat diem; poſtea verò morum pravitate, lacrimas parentûm oculis affudit: poſt pecunias dilapidatas, etiam virtutem ac famam decoxit; non modò ſeductus à flagitioſis, ſed ipſe quoque ſcelerum autor & anteſignanus. Fateor, grave vulnus tum tibi parenti, tum toti perhoneſtæ familiæ inflictum eſt; & tantò quidem acerbius toleratu, quantò plura de ſe promiſerat adoleſcentis bona indoles, ad virtutem, ut putabatur, nata atque facta. Leniet verò hunc

hunc tuum dolorem, ſi cogitaveris, hæc nullâ tuâ culpâ accidiſſe; filium ſtudiorum causâ, longiùs ab oculis remotum, libertate Academicâ abuſum, exſpectationem primæ educationis fruſtrâſſe; mobilem eſſe & mutabilem adoleſcentiæ genium, faciléque in contrarium flectendum. Teſtem & exemplum hujus rei Salomonem habes, qui, quamvis *ſortitus fuerat animam bonam*, cupiditatibus tamen vitioſis abreptus, turpiſſimè prolapſus eſt. Audi, quid Prov. 30. v. 18. de inſtabilitate juventutis diſſerat: *Tria ſunt*, inquit, *difficilia mihi, & quartum penitus ignoro; Viam aquilæ in cœlo, viam colubri ſuper terram, viam navis in medio mari, & viam viri in adoleſcentia*: viam utique lubricam, tortuoſam, anfractibus & flexibus plenam, innumeris periculis expoſitam. *Eſt enim adoleſcentia*, ut D. Ambroſius loquitur, *vicina lapſibus, quia variarum æſtu cupiditatum, & fervore calentis naturæ inflammatur*. Inſita huic eſt ætati levitas; inſtar tritonum in tectis per varios affectus circumagitur; tardus utilium proviſor adoleſcens, ſapientiâ & conſilio deſtituitur, *aquilam* in cœlo imitatur, quæ volatico per vacuas auras remigio, magìs rapitur quàm fertur; tanquam *navis*

in alto fluctuat, citò à propoſitis reſilit, incertus quò tendat; *ſerpentina* lubricitate veſtigia variat, & curas obſervantium eludit; ſingulis penè horis mutatur; nihil in eo firmum, nihil ſtabile; hodie apparet probus, pudicus, ſobrius, craſtinâ totus alius futurus: aſtu obterit aliquamdiu veſtigia, tegit malitiam, donec ea ſubitò in lucem erumpat. Vidit hoc Tullius, qui in Oratione pro Cœlio: *Multas*, ait, *vias adoleſcentiæ lubricas natura oſtendit, quibus illa inſiſtere, aut ingredi ſine caſu aliquo aut prolapſione vix poſſit.* In hoc lubrico lapſus eſt filius tuus, & curas paternas colubrina vafritie deluſit; veſtigia primò dubia & incerta reliquit, poſtea omnino extrivit, ut inobſervabilis eſſet; donec ad extremum, in modum navis ſine rectore fluctibus agitatæ, ad ſcopulos alliſus, naufragium honeſtatis fecit. Nequitiâ tranſilijt annos, & robuſto ſcelere virum ſe in adoleſcentia, quod Salomon conqueritur, probavit. Non ideo tamen eſt, cur putes, hanc filij ignominiam etiam ad te patrem pertinere. Primus hominum parens è duobus, quos genuit, filijs, alterum reprobum habuit. Idem Abrahamo Patriarchæ (quali viro?) accidit; in integerrima illa familia,
debuit

debuit ex ædibus eijci Iſmaël, ut vitium non afflaret Iſaaco. Idem deinde Iſaacus quoque expertus eſt: quis enim innocentior *Jacobo* ejus filio? quis deterior, fratre ejuſdem germano *Eſauo*. Fuerit perfidus, perduellis, parricida Abſalon, an ideo Davidem ea flagitia tangunt? & optimus Rex Ezechias, quale portentum Manaſſem ſuſcepit? an tu ſanctior iſtis progenitoribus? Mitiùs ergo ferenda ſors pluribus communis. Deinde non deſperanda ſunt meliora de tuo filio; humanum eſt, quòd peccavit; multos docuit prudentiam caſus; ſapuerunt ex errore. Exemplum in hiſtorijs non unum legitur: memorabile eſt, quod de Themiſtocle, prodigo ac laſcivo, primæ apud Athenienſes nobilitatis refertur. Is (nam & ab Ethnicis Ethicam diſcimus) ex flagitioſo adoleſcente, inſignis, & temperatiſſimus Athenienſium poſtea Imperator factus; mirantibus mores mutatos, dicere ſolebat: aſperos & indomitos pullos in optimos equos evadere, ſiquis illis adhibeat diſciplinam, rectámque inſtitutionem. *Plutarch.* Idem de tuo filio confidere licet. Tu interea paterna ſeveritate in eum animadverte; ſubtrahe ligna foco; pecunias nullas ſubmitte; eſurire & algere ipſum ſine; à conſpectu

ſpectu prohibe; redibit ad frugem, ubi cum filio *Prodigo* damnatus ad ſiliquas, pudorem amiſſum revocârit, & veniam non ſolùm petere, verùm etiam mereri cæperit. Hæc amicus amico ſcripſi; tu doloris tui lenimen magìs à tua virtute & prudentiâ capies. Vale, & quæ facta ſunt, ne poſthac fiant, à filio averte; ſentiat, ſe deliquiſſe.

XII.

FLORIANO VERINO JUVENI

Ad militiam aſpiranti, Salutem & conſiderationem.

ACcepi à te epiſtolam, plenam militarium ſpirituum & martialis ſanguinis. Scribis enim, conſtitutum tibi eſſe, Muſis imbellibus valedicere, calamum cum gladio, libros cum bombarda permutare; è globis plumbeis auream tibi fortunam promittis, & ampla ex hoſtibus ſpolia. Metuo, ne epinicium canas ante victoriam, & pro prœmijs tibi ſpondeas pericula. Hîc ego tibi cum bona venia occinam, quod nobilis, ævi noſtri

Poëta

Poëta Bauhuſius lib. 1. Epig. cuidam feroculo adoleſcenti cecinit:

Tympana, bombardáſq; triũphaléſq; tonitrus,
Cantricéſq; tubas, niveo ductas argento
Et cocco rutilas Aquilas, rutiláſque pyropis,
Tum Tyrias chlamidum luces, & texta ſagorũ
Aurea, gemmatóſq; enſes, atque omnia magnis
Oblita divitiis, Bruxellæ viderat Ancus.

Et importunis à parente precibus impetravit, ut ad militiam abire ſe ſineret. Sed

--- bella aurea, & aurea caſtra
Ferrea mox ſenſit; -- mox indigus æris
Pallet, egétq; ſitítq; famétq; algétq;, madétq;.

Denique morbis & miſerijs oppletus, & ad patrios lares revectus, procul illacrimans:

--- Pudet, ô pater, & piget, inquit,
Parcito, crediderã Bellũ, miſer, Adjectivũ.

Nempe per antiphraſin, ut Parcæ parcunt, ut luci lucent, ſic bellum eſt bellum, hoc eſt, minimè bellum. Miles, autore Feſto, quaſi *Mollis* per contrarium dicitur, quòd nihil in eo molle ſit, ſed aſpera quæque gerat. Adde, quòd non multùm diſtent militia & malitia. Unde non abſonè quidam de adoleſcente nobili inter rudimenta militiæ mortuo: *Raptus eſt, ne mutaret militia intellectum.* Et Lucanus:

Nulla

Nulla fides, pietáſque viris, qui caſtra ſequuntur,
Venaléſque manus: ibi fas, ubi maxima merces.

Certè Bellum à belluis quidam derivant, quòd belluarum ſit, mutuo ſe laniatu conficere. Et Venuſinus dehortator belli

Quò quò ſceleſti ruitis? aut cur dextris
Aptantur enſes conditi? Lib.1.Epod.
Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus
Unquam, niſi in diſpar, feris.

Cum eo Tibullus: Lib. 1.Eleg. 10.

Quis furor eſt, atrã bellis accerſere mortẽ?
Imminet, & tacito clàm venit illa pede.

Et hoc eſt, quod veteres Poëtæ, qui rerum vim ac naturam ſagaciter perſpectam aptiſſimis figmentis adaptârunt & adumbrârunt, tradidêre, bellum ab inferis immitti, ídque Furiarum miniſterio; neque quamlibet Furiam ad hoc negotij conficiendum eſſe idoneam. Putârunt enim, deligi omnium peſtilentiſſimam, cui

-- nomina mille,
mille nocendi artes,

quæ innumeris armata colubris, Tartareâ buccinâ præcinat; dehinc apud eoſdem Pan inſano tumultu complet univerſa; Bellona furio-

furioſum quatit flagellum; Furor impius ruptis omnium vinculorum nodis evolat, horridus ore cruento. Conqueritur hoc Mantuanus Paſtor:

Quippe ubi fas verſum, atque nefas: tot bella per orbem,
Tam multæ ſcelerum facies: non ullus aratro
Dignus honor: ſquallent abductis arva colonis,
Et curvæ rigidum falces conflantur in enſem. 1. Georg.

Equidem incentores belli ſunt mali dæmones, qui homines in mutuas cædes impellunt, & orbem tumultibus miſcent. Quid enim aliud ſunt prœlia, niſi ſtrages cadaverum, Furiarum ſpectacula, Tartari ſpolia? Ibi clamores & fremitus horrendi ac diſſoni; inde tubarum & tympanorum, aliunde vincentium & cadentium, aliunde ferrum in jugulo mergentium, aliunde fruſtra vitam rogantium, confusóque cum ejulatu exſpirantium. O crudelem voluptatem! ô immanem Martis ludum! ſi, quod Plinius teſtatur, legimus, Cæſarem bellis ſuis interemiſſe capitum undecies centena, & nonaginta duo millia; Pompejum verò confeciſſe, aut cepiſſe homi-

num

num millia centum octoginta tria ſupra vicies centena millia: quid truculentius hoc macello? quid immanius hac laniena? an non Duces hi fuère carnifices, latrones mortalium, propolæ humani ſanguinis? Venales animæ ſunt milites; óccidant, an occidant, perinde eſt; eadem illis ſalutis, & ſepulchri jactura eſt. Rectè dixit, qui militem mortis victimam, & Libitinæ ſtipendiarium vocavit: vivunt, ut ad nutum moriantur; tunc maximè laudantur, cùm non ſegnes in ſua fata properant. Ad unum verbum, *Vade*, in ferrum & vulnera ruit bellator; cùm audit, *Veni*, veniendum eſt in quodlibet diſcrimen. Scipio Africanus gloriatus eſſe fertur, trecentos ſibi promptiſſimorum militum eſſe, quorum nullus, ipſo jubente, non conſcensâ, quam oſtendebat, turri, ſe in mare ſit præcipitaturus. *Plut. in apophth.* Imperia tunc mitiora exſpecta; in aggreſſionibus urbium inundant ſanguine foſſæ; per cæſorum corpora ſternuntur pontes, quibus in mœnia paretur aſcenſus. Triſte quondam veteris Romæ ſpectaculum fuit, quando gladiator adverſarium in arena porrexit, alteráque manu jugulum jacentis apprehendens, alterâ mucronem infigens, *Recipe*, ajebat, *ferrum* hoc

Hoc in militia tantò funeſtiùs, quantò plures jubentur mori, & ore terram mordere. Et eſto, te his periculis melior aliquis genius ſubducat, an evitabis, quæ communia ſunt omnibus caſtra ſequentibus? ſub dio in nudo cubandum ceſpite, frigus, æſtus, venti, imbres perferendi, fames & pauperies patienda, nocturnæ, diurnæque vigiliæ tolerandæ; quies rara, ſtipendia dubia, pericula certa; foris hoſtium gladij ac tela; in caſtris lictores, faſces & ſecures. Inter hæc ſocietas peſſima, perditorum hominum exempla, profligata vitæ licentia, mors ubique parata, orcus apertus. Et *pænitere*, imò *perire*, *tu tanti emas?* tam magno impendio exitium tibi tuum accerſas? ah fallunt te magna nomina, *Achilles* & *Hector*: plena eſt his titulis Plutonia domus; ibi Duces & Milites, olim ſanguinis hirudines, poſtea vermium & vulturum æternorum pabula: quæ tu ſi perpenderis, cautiùs optabis, & verum illud verbum, *Nulla ſalus bello*, noles experiri. Atque ut effugias illa inferorum tormenta, terreant ſaltem calamitates, etiam in hac vita, galeatis ſubeunda. In oculis habentur exempla, trunca corpora, conciſa vulneribus ora, mutila & debilitata membra, &

poſt hæc omnia, dira cum egeſtate conflictatio, quæ cuncta tibi inclamant: I, bellator inexperte, militiæ te dedica, ad ſigna convola, accinge latus gladio, humeros baltheo, explode plumbum è fiſtulis æneis, ventila haſtas, in hoſtem invade. Qualia trophæa referes? ſuſpenſam ex baculo peram & ligneum catinum, quo mendicos inter errones ſportulam colligas, & ante fores rogites: *date ſtipem* viribus & nummis deſtituto militi. Siracides miſerans hanc bellantium calamitatem, non dubitavit inter graviſſimas & indignas ærumnas numerare *Virum bellatorem deficientem per inopiam.* c. 26. Pericula ſuſtinuit, vulnera accepit, vitam expoſuit. Quid deinde? egens, inops, morbis confectus defecit, nec linteum habuit, quod tumulo inferret. Hæc, ſi ſapis, meditare, & præcipites impetus refræna, ne ſerò illud Phrygium ingemiſcas:

Non putâram.

XIII.

XIII.

ARSENIO PYRRHO,

Salutem, & victoriam ſui.

HAbes, quòd agas gratias naturæ, Arſeni, quæ magna in te ornamenta contulit, & præclaris dotibus inſtruxit: ſed quid dico, Naturæ? DEO debes in acceptis ferre, indolem tibi ad virtutis officia idoneam conferenti. Unum tamen eſt, quod tibi ad victoriam tuî reliquit, moderationem iracundiæ. Ignoſce mihi, ſi tecum ſincerè loquor, &, quid in te deſiderem, aperio; hoc enim non ſemel à me petijſti, ut, ſiquid eſſet, quod dedeceret tuam, non dico faciei, ſed animi formam, id tibi per epiſtolam, tanquam in ſpeculo, oſtenderem. Illud, quale ſit, accipe. Naturam nactus es æquo fervidiorem, & moderatione indigentem; res levis bilem tibi in nares ciet; modica ſcintilla flammam excitat; facilè nimis turbaris, & in fluctus indignationis aſſurgis: nec raró (quod ex domeſticis tuis intellexi) in jurgia & convitia linguam ſolvis, etiam ad rixas & pugnas deſcenſurus, ſiquis ſit, qui ſe opponat. Id tamen in hoc

 ipſo

ipſo vitio non caret commendatione: citò iraſceris, citò placaris. Ira verò, quod nôſti, non omnis in reprehenſione ponenda; eſt quædam laudabilis & neceſſaria; DEUS ipſe iraſci in SS. litteris dicitur, & pſal. 4. *Iraſcimini, & nolite peccare.* Zelus juſtitiæ poſtulat, ut delinquentes puniantur; modò ne correctio vel caſtigatio in ſævitiam abeat. De hac ira, quam Peripatetici cotem fortitudinis appellant, non eſt mihi tecum ſermo; illam iram damno, quæ in iracundiam exardeſcit, & velut ferox bellua frænis eſt coërcenda; de qua domanda Salomon: *Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore urbium*, Prov. 16. Intellexerunt hoc etiam Ethnici, è quibus Poëta:

Fortior eſt, qui ſe, quàm qui fortiſſima vincit
Oppida, nec virtus altiùs ire poteſt.

Et,

Ardua res eſt viciſſe alios; victoria major
Eſt, animi fluctus compoſuiſſe ſui.

De Alexandro Macedone, Aſiæ & Africæ victore Seneca: *Iracundia domitorem orbis ſtravit, ut velut efferata bellua in amiciſſimos quoſque ſæviret.* Verè Tullius: *Nulla tanta vis, quæ non ferro aut viribus debilitari poſſit; at animum vincere, iracundiam*

diam cohibere, hoc virtutis opus. Virum moderantem animo Sapientes componunt Herculi, & anteponunt; neque enim fortior judicandus eſt, qui leonem (quod Hercules & poſt Herculem Samſon ac David, aliique fecerunt) quàm qui violentam, in ſeipſo incluſam feram, ſuperat iracundiam. Jeſſæus certè Juvenis non tantùm laudis reportavit, quando Goliathum immanem gigantem lapide dejecit, quàm quando paratiſſimam in capitalem Inimicum vindictam neglexit, & Sauli in ſpelunca deprehenſo pepercit, contentus in ſignum omiſſi facinoris, limbum veſtimenti ejus præcidiſſe. Idem exemplum poſtea repetijt, cùm deterrimi convitiatoris *Semei* maledicta incredibili patientia ſuſtinuit, & Abiſai gladium, obtrectatoris jugulo jam imminentem, repreſſit. Et hoc eſt dominari animo, iram in poteſtate continere, effrænes animi affectiones cohibere, vindictam ſubſtringere. Davidem æmulati ſunt innumeri Chriſtianorum heroës, qui victoriæ ſuiipſorum perpetuam memoriam poſteritati reliquerunt. Inter eos Gualbertus fuit, qui cùm inimicum, præſentem mortis victimam, è manibus dimiſiſſet, gratias ei moderati animi DEUS ipſe in cruce pendu-

 lus

lus egit. Viciſſim conſidera hominem, fræ-nos calenti animo permittentem; quò ſe iracundiæ impetu, furore ac inſaniâ præcipitet: qualem in Aiace ſapienter Poëtæ repræſentant; qui, cùm ab Ulyſſe in judicio victus, Achillis ei arma cedere coactus fuiſſet, præ ira inſaniens, pecorum gregem occidit; ratus ſe Ulyſſem cum ſociis interficere: cui pro Epigraphe ex *Marone* addatur, *Præcipitant furor, iráque mentem.* Habent enim hoc iracundiâ, veluti œſtro, perciti, ut beſtias pro hominibus, & hos pro beſtijs invadant, nec rarò innocentes pro nocentibus judicent, ac plectant. Unde irati dicuntur exiſſe de poteſtate mentis, id eſt, de conſilio & ratione. Idem Aiax ad mentis ſanitatem rediens, cùm ſe falſum comperiſſet, acri dolore compulſus, gladio ſe ipſum interemit. Hoc habet præceps furor. Rectè Horatius

--- *Qui non moderabitur iræ,*
Infectũ volet eſſe, dolor quod ſuaſerit, & mens,
Dum pœnas odio per vim feſtinat inulto.

Cæteri affectus, inquit Seneca, dilationem recipiunt, & curari tardiùs poſſunt; Ira incitata, & ſe ipſam rapiens violentia, non paulatim procedit, ſed præcipitat. Athenodorus Philoſophus, domum rediturus, Auguſto

Cæſari monitum ſupremum dediſſe fertur, ut iratus nihil diceret aut faceret, priuſquam viginti quatuor litteras Alphabethi Græci recitâſſet. Hoc innuit Homerus Iliad. 1. ubi Pallas à tergo ſtat Achilli, contra Agamemnonem ſtomachanti, & jam manum gladio admoventi, quem Dea coërcet, & à cæde inhibet, veteri jambo:

Multis malorum cauſa eſt præcipitantia: quæ, apud juvenes maximè, ex efferveſcentia ſanguinis oritur: hinc Martem non magìs in lingua, quàm manu gerunt; dicunt, agunt, quorum mox pœniteat. Reprimendus ſubitus calor, & bis, ut dicitur, *ad limam*, revocanda verba, *quàm ad linguam* vocanda; mora præcipitis mali remedium eſt; primi compeſcendi ſunt motus, ne invaleſcant; equum in curſum rapidè effuſum haud retineas habenis, quas nimium laxâſti. Scimus, quanta incendia excitârit una vox *mentiris*. Ira ſcintilla eſt in ſtipulam injecta, niſi citò reſtinguatur, ſerpit in incendium. Horat. lib. 1. Od. 16. *Iræ*,

--- altis urbibus ultimæ
Stetêre cauſæ, cur perirent
Funditus, imprimerétque muris
Hoſtile aratrum exercitus inſolens.

 Qua-

Quapropter ad amicum ſcribit Epiſt. ad Lollium,

-- Animum rege, qui niſi paret,
Imperat; hunc frænis, hunc tu compeſce catenâ.

Ne ſine, ut erumpat inſtar canis rabidi, & dentem in obvios figat. Si vis nomen inter Sapientes mereri, iracundiam cohibe, vindicandi cupiditatem coërce; puſilli animi eſt, ait Romanus Philoſophus, rebus parvis offendi, & ab ira vinci.

Quò quiſq; eſt major, magìs eſt placabilis ira,
Et faciles motus mens generoſa capit.

Juxta effatum ſacri parœmiographi; *Fatuus ſtatim indicat iram ſuam; qui autem diſſimulat injuriam, callidus eſt*, Prov. 12. Fecit hoc Saul, recèns in Regem Hebræorum electus, quem cùm maledici quidam etiam convitijs inſectarentur, *ille diſſimulabat ſe audire.* 1. Reg. 10. Nihil glorioſius potuit de hac inauguratione dici. Adde laudem hanc cæteris tuis ornamentis, & mereberis inter victores, & expugnatores, non tam urbium, quàm perturbationum, adſcribi ac celebrari. Valere te jubeo, & vincere pugilicè, póſtque victoriam triumphare.

XIV.

XIV.

AD THEODORUM SALVIUM

Inſultibus malarum ſuggeſtionum, & ſpe ſalutis fluctuantem, Conſolatoria.

QUid eſt, quòd adeò deijcias animum, chariſſime Theodore, ut ſcribas, parùm abeſſe, quin ſpem ſalutis æternæ deponas, tanquam inemendabile ſit malum, quo laboras; inſuperabile, quod toleras. Quereris, perpetuum tibi bellum cum hoſtibus internis eſſe; nullam quietis partem concedi ab inſultibus & aggreſſionibus ſaluti tuæ inſidiantium; graviſſimas & penè continuas impugnationes inſurgere, adversùs fiduciam in divino auxilio reponendam; fruſtra cœlum precibus pulſari ab homine, æternis ignibus deſtinato; afflictationibus corporis non mitigari pugnam, ſed exaſperari; identidem tibi vocem ad aures inſonare; fruſtra agis; actum eſt; cœlo proſcriptus es; quid irritis animum conſilijs fatigas? *non eſt volentis, aut currentis, ſed miſerentis DEI; projectus es à facie illius, qui quem deſpexerit, quis poterit corrigere?* Eccl. 7. Cede DEO, &

quò te Fata trahunt, eò ſponte ſequere; è numero infelicium es; fatalis te neceſſitas urget; da te lætitiæ, indulge geniali vitæ, ne bis cogaris eſſe miſer, & temporaneas ærumnas cum ſempiternis ſociare. Atque hos ictus irrequietus malleus ingeminat, & acerbum reddit, quòd ſpiras. In hoc equuleo quis perſeveret? quis non abrumpat iſtos cruciatus, & non repetat illud antiquum? Ad inferos haud ſegniter eundum eſt. Nimis tu quidem hæc abjectè, & non ex more hominis Chriſtiani. An neſcis, quod Jobus inclamat? *Militia eſt vita hominis ſuper terram*: id quod etiam in noſtrum pudorem Philoſophus Ethnicus agnovit. Seneca ad Lucilium epiſt. 36. *Vivere*, ait, *mi Lucili, eſt militare.* Nunquid enim in hoc nati, vocati, educati ſumus? in hoc, luſtrali fonte abluendi, ſacramentum diximus, ut militemus, & pugnemus? De arduitate hujus certaminis Cyprianus lib. de mortalitate: *Obſeſſa mens hominis, & undique diaboli infeſtatione vallata, vix occurrit ſingulis, quomodo reſiſtat univerſis?* Eſt ergo perpetuò ſtandum in excubijs, imò verſandum in acie, & ſtrenui militis officium exequendum. Hæc eſt teſſera Chriſtiani bellatoris: in ſecu-

ritate

ritate periculum cavere, in periculis animo præſentem eſſe; non te deſeret Ille, qui hanc pugnandi neceſſitatem tibi impoſuit. Nec primus es, nec poſtremus, cui hæc animi tormenta ſunt experimenta, & pro exercitio virtutis, ac probatione fidei, DEO datæ, teſtimonia. Ipſe Supremus hujus belli Imperator, milites ſuos certamen aggreſſuros, pro claſſico juſſit incinere: *Et ne nos inducas in tentationem.* Quibus verbis docuit, non vitare pugnam, nec declinare aleam, ſed poſcere vires ad ſuſtinendam impreſſionem hoſtilem. Quis illo Antonio, Anachoretarum Principe, clarior hujus generis victorijs? quis nobilior triumphis? Et tamen in dimicationis fervore deſideravit agonothetæ ſui præſidium? medius inter hoſtium phalanges, deſertum ſe & deſtitutum ratus, poſtquam ſpectabilem habuit Adjutorem & auſpicem belli ſacri, exclamâſſe fertur: *Ubi eras, bone JESU, ubi eras? ecce plagas in tuam gratiam exceptas:* acriter quippe ab Orci tenebrionibus diverberatus fuerat: mox ad aures vox allapſa: *Tecum eram, Antoni, tuam dimicationem ſpectabam, tibi virtutis famam, victoriaq; coronam jam tum parabam, quando primo congreſſu pedem cum hoſtibus confere-*

ferebas. Et nónne Heros ille per orbem cantatus Paulus, antequam adoream à Summo Polemarcho referret, per *ſtimulos carnis*, & concupiſcentiæ *colaphos* ab *Angelo Satanæ* probandus fuit? Solenne eſt huic militiæ, rerum horribilium objectu auctoramentum ſubire. At monſtra terrent infanda, & vel cogitatu deteſtanda; hoc ipſum eſt, quod te ſolari poſſit; invitus pateris teterrimas larvas. Hæc terricula ſunt artes Veteratoris Acherontici, quibus plurimos Panica formidine attonitos in perniciem inducit. De eo Jobus: *Sub umbra dormit in ſecreto calami*: umbras amat, & in umbris tendiculas ſuas abſcondit? & quidem latebras ſectatur ſub calamis, hoc eſt, in arundineto; ſolent enim arundines foliorum motu ſtrepere, & evanido ſonitu aures percellere: id agit Panurgus, ut inanem timorem excitet, & animas cœlo charas in diffidentiam de miſericordia ac bonitate Numinis præcipitet. Tu fac animo ſis intrepido, & ride hos inſultus. Alius hoſtis ſæpe periculosè contemnitur; hic debellatur contemptu. Poteſt quidem tempeſtatem ciere, ſed non poteſt mergere; poteſt arborem concutere, ſed non ab altis radicibus revellere: doloſus vitrorum artifex eſt Orcus, *locuſtas*

cuſtas ut *gigantes*, muſcas ut elephantos repræſentat; non magis timendus, quando in giganteam molem intumeſcit, quàm cùm culicis in modum extenuatur. Falſis religionibus animum tuum concutit; ſcrupulos tibi inijcit, & tanquam ſcopulos proponit; ibi te *timere* jubet, ubi non eſt *timor*; tenebris mentem involvit, & de nocte omnia terribiliora reddit; varia monſtra ferarum ob oculos pingit, ut larvis percellat; novit te naturâ timidum, & ideo fatuos ignes excitat, ut te ſpectris territum in paludes agat; ſolet enim hoc accidere meticuloſis; pinguiores exhalationes ac vapores motu accenſos obijcit, tanquam nocturnos viæ duces, & incautos in foſſas ac voragines impellit; errabundæ ſunt flammæ, illudunt oculos nimiùm credulos, maligno lumine facem præferunt, ad avia & devia abducunt. His tenebris involvit hominem erronea conſcientia. Aliunde quoque caliginem tibi offundunt, neſcio, quæ anxietas, & ſiniſtra perſuaſio de Prædeſtinatione, quam vocant Theologi, ſeu Electione ad beatitudinem æternam. Numerus ſalvandorum nimis ſtrictè à te contrahitur; fauces Tartari æquo latiùs panduntur; verba illa Chriſti, Matth. 20. *Multi ſunt voca-*

vocati, pauci electi. Et illa Matth. 7. *Lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam. Anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inveniunt eam*, totidem tonitrua & fulmina tibi videntur, quæ aures & animos percellunt, & ſpem ſalutis dubiam reddunt. Hîc iterum laboras in Sirtibus, nec ſatìs aſſequeris verum, de *Prædeſtinatione*, ſeu *Prælectione* ſenſum. Procul cum Stoica, & hæreticorum noſtri temporis fanatica neceſſitate, quaſi miſeri mortales, nolentes volentes, abſolutâ & decretoriâ Numinis ſententiâ, ac ſevero præjudicio, deſtinarentur ad ſempiternos rogos, quibus irretractabili Judicis ſupremi ſævitiâ exurantur, cui ſola ratio puniendi ſit, voluntas punientis. Faceſſant hæ ab auribus Chriſtianis voces, in DEUM ac Superos contumelioſæ: ſtat rata divinarum litterarum firmitas: *DEUS neminem deſerit, niſi priùs ab eo deſertus*; neminem condemnat, niſi meritum. Magnum Auguſtinum audi; is pulchrè & graviter cap. 23. de Gratia & Libero Arbitrio: *DEUS*, inquit, *reddit mala pro malis, quia juſtus eſt: bona pro malis, quia bonus eſt: bona pro bonis, quia*

bonus

bonus & juſtus eſt : ſolùm non reddit mala pro bonis, quia injuſtus non eſt. Neque dicas, quod DEUS præſcivit, certiſſimò eveniet, ergo non eſt in hominis poteſtate, bene agere, quem præſcivit malè acturum. Qui ſubtiliùs reſpondent, diſtinguunt duplicem neceſſitatem, *Antecedentem* & *Conſequentem*; prior cum libero arbitrio ſtare non poteſt, poſterior poteſt. Sed meum non eſt, hæc in epiſtola acutiùs tractare: auctoritatibus te duco, quarum altera memorati Præſulis Hipponenſis lib. 3. de Libero Arbit. *Sicut tu memoriâ tuâ non cogis facta eſſe, quæ præterierunt: ſic DEUS præſcientiâ ſuâ non cogit facienda, quæ ſunt futura.* Altera Ambroſij, qui breviter & nervosè: *Non antè prædeſtinavit DEUS, quàm præſciret: ſed quorum merita præſcivit, eorum præmia prædeſtinavit*, lib. 2. de fide. c. 5. Plura non adjungo in materia, quam quidam vocat Labyrinthum, mille mæandris & erroribus implexum, profundiſſimum divinorum conſiliorum pelagus, nulla rationis bolide inveſtigandum; in quo complures, velificantis ingenij temeritate abrepti, & ad ſcopulos alliſi, naufragium ſalutis fecêre. Hîc locum habet illud Eccleſiaſtici c. 3. v. 22. *Altiora*

te

te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris. Potiùs id agendum, quod monet D. Petrus epiſt. 2. c. 1. *Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.* Et loc. cit. Siracides, poſtquam conſilia & ſecreta DEI non eſſe ſcrutanda docuit, ſubjunxit: *Sed quæ præcepit tibi DEUS, illa cogita ſemper:* reliqua fac miſſa. *Qui Scrutator eſt majeſtatis, opprimetur à gloria.* Prov. 25. Atque hæc contra curioſitatem cognoſcendi Arcanum *Prædeſtinationis.* Piè, & ad mittendam iſtam anxiam fluctuationem ſalubriter, Thomas ille Theodidactus refert, quendam his fluctibus agitatum, ad aram, velut ad Oraculum, ſe proſtraviſſe, & de perſeverantia ſibi metuentem, altiùs in divinæ voluntatis ſecretum ſe immittentem, hoc interiùs reſponſum tuliſſe: *Quid ſi hoc ſcires, quid facere velles? fac nunc*, quod tunc facturus eſſes, & ſalutis te ſecurum exiſtima. Abſterſit ea vox triſtitiam animi, & fiduciâ ac ſolatio plenum ab Aris dimiſit, *Thomas Kempenſ. de Imit. Ch. lib. 1. c. 25.* Ad hoc ipſum aſylum te recipe; hîc anchorã fige, quando perturbatione hujus Arcani te jactatum advertis. Nunc ad ſalvandorum, ſeu Libro Vitæ inſcribendorum numerum quod attinet, expa-

veſcere

pavefcere te, ais, quoties cogitas, immenſam hominum multitudinem in cenſum damnandorum venturam. Non reprehendo hunc timorem, ſi limites non excedat prudentiæ. Scio, quid Regum ſapientiſſimus in ſuis Proverbijs aſſerat: *Beatus homo, qui ſemper eſt pavidus*, cap. 28. v. 14. & Jobus probatiſſimæ vitæ Princeps, non dubitavit hunc metum confiteri c. 9. v. 28. *Verebar omnia opera mea, ſciens, quòd non parceres delinquenti.* Inter ſcopulos nempe navigamus; optimus navarchus Timor eſt; ſecurè vehitur, qui in malacia quoque tempeſtatem metuit. Sed hic ipſe Timor, qui ad clavum ſedet, niſi ad moderamen Rationis curſum flectat, ſimilis attonito ſtupebit, &, quid agat omittátve, hærebit. At terrent vivæ voces è cathedris, mortuæ ex libris, quæ exiguo mortalium numero januam cæli aperiunt. Protrita ſunt illa argumenta, ducta ex paucitate Hebræorum, ex Ægypto in *Terram Promiſſionis* proficiſcentium: ſexcenta millia virorum erant, qui eò tendebant; Joſue & Caleb ſoli pervenerunt, Exod. 12. Et aureum illud os Chryſoſtomus pro concione dixit, Antiochiæ in urbe vaſtiſſima, & centum ac ampliùs hominum millia continente, vix cen-

tum inveniri, qui ſerventur. Ita Lothus cum paucis è Sodomæo incendio, Noachus è Diluvio evaſit. Etiam hiſtoriæ recitantur, plenæ terroris & conſternationis; quæ ſi in animum meticuloſum, velut lapis molaris, incidant, addetur pondus ponderi, & naturam ad formidines propenſam mærore oppriment. Ego quidem alienus ſum ab hac opinione, & illorum ſententiæ me adjungo, qui in mitiorem partem abeunt. Ad quid enim ampliſſima cæli Empyrei ſpatia, niſi Beatorum civium coloniâ impleantur? De quibus Baruch c. 3. *O Iſraël, quàm magna eſt Domus DEI, & ingens locus poſſeſſionis!* Exiguum mihi quidem videntur pretium Diviniſſimo illi Sanguini pro nobis fuſo ponere, qui tam parcè ejus efficaciam metiuntur; & puſillum neceſſe eſt animum ac pedem eſſe, ad cujus modulum, illa Miſericordiæ Numinis immenſitas componitur. Una lacrimula, in memoriam Patientis DEI, aut pœnitentis hominis vel dolorem, vel amorem ex oculis emiſſa, quos non rogos extinguat? Et ille obtutus, in Chriſtum è cruce pendentem à moriente conjectus, quid non impetrat? Et quiſquam ſit, qui majorem etiam Catholicorum partem ad inferos mittat, quibus tot ſalu-

ſalutis remedia in promptu ſunt? Quàm multi enim illorum, divinis myſterijs expiati, ex hac vita decedunt? quàm multi, ab ipſa pueritia bene inſtituti & educati, pietatis humorem, quem ſemel imbiberunt, tenaciter retinent! Quid dicam de Sacramentorum, gratiæ cœleſtis fontium, piaculari fluxu? quid de Sacrificiorum virtute, comprecationum frequentiâ, concionum multitudine, in egenos liberalitate? an nihil merentur ſtata more Eccleſiæ jejunia? nihil tot in Religioſis Clauſtris utriuſque ſexûs voluntaria de ſe ipſis ſupplicia? nihil tot cultûs Mariani inventa & exempla? nihil tot convivæ ad Evchariſticum Epulum accumbentes? nihil tot bene conſtitutæ civitates, & excubantes pro Honeſtate & Juſtitia magiſtratus? nihil denique tot fideles animarum Paſtores, rudium inſtructores, tot ſcripti de officijs hominis Chriſtiani libri ac libelli, & per orbem Orthodoxum ſparſi? Abrumpo filum, ne more concionatorio producatur, & ultra metam ac modum epiſtola excurrat. Siquid hîc ferventiùs, multa quoque fervidiùs ab ijs dici cogita, qui pro paucitate ſalvandorum declamant. Ipſa Chriſti verba de *vocatione* multorum, *electione* paucorum ab univerſo mor-

talium genere ad ſolos Chriſtianos detorſquent; comparationes inſtituunt, non niſi ſenſu analogico, explicandas: qui ſi tueri ſuam ſeveritaté volunt, viderint, quid reſpondeant Servatori Orbis, jugum ſuum ſuave, & onus leve profitenti. Concludo has litteras, & meam de propoſito argumento ſententiam, dicóque, *pleróſque Catholicorum ſervari.* Si tibi non ſufficit mea aſſertio, majoris auctoritatis tibi virum nomino, Cornelium à Lapide in cap. 7. Apocal. v. 9. Vale, & numerum Beatorum auge, non tam timendo ſupremi Judicis urnam, quàm amando Patris providentiſſimi benignam in te curam.

XV.

JULIO MONTANO NEOMYSTÆ

Salutem, & gratulationem dignitatis ſacerdotalis.

PLurimùm Reverende Domine, pro invitatione amiciſſima ad Sacrificium, quod *primum* à te, Dominicâ die proximè imminente, ſolenni ritu peragetur, habeo gratias am-

amplas; deinde gratulor etiam atque etiam Reverentiæ tuæ dignitatem, Angelis invidendam. Tametſi propter valetudinem, viæque difficultatem, me præſentem ſiſtere haud queo, adero tamen animo, & deſiderijs in harum fructum, atque communionem primitiarum venire ſtudebo. Quos autem ampliores honores conſequi potuiſſes, & gratulationem mereri exoptatiorem, quàm quia Sacerdotio initiatus, tanquam aliquis Joſue Solem æternum, *DEUM*, inquam, *hominem factum*, ad tua verba, non dico evocandi, ſed efficiendi, & præſentem ſiſtendi poteſtatem accepiſti: quòd conſtitutus ſis Legatus, DEUM inter & hominem, ad cauſam omnium graviſſimam agendam; quòd impertitâ tibi ab Epiſcopo poteſtate, quemadmodum unicâ voculâ FIAT, Virgo Nazarena, Parens effecta DEI, Divinum Infantem concepit, tu quoque cœleſte Numen prodigioſo myſterio in Ara producis, paucula verba effatus. Ad hanc poteſtatem *conſecrandi* accedit altera *abſolvendi* & *ligandi*: quô quid majus poteſt dici, aut optari? Claviger cœli factus es; Sacerdotij collatione claves accepiſti, Cœlum aperiendi, cœleſtes theſauros depromendi, damnatis capite libertatem conferendi,

ex peccatoribus filios DEI, & hæredes Bonorum omnium conſtituendi, vindicem gladium maleficis intentatum, velut alter Moyſes aut Paulus, à reis cervicibus avertendi. Jam Interpres DEI factus, Divinorum Oraculorum Arcana explicandi, Superûm reſponſa ad homines referendi, tibi dignitas eſt contributa; jam medius inter Cherubinos & Seraphinos, aræ ſe circumfundentes, Illum tractas manibus, ponis, reponis, deponis, coram quo columnæ cæli contremiſcunt; duobus digitis includis eum, qui tribus appendit molem terræ. Quòd ſi meritò mortalium omnium feliciſſimam ſe Virgo Mater credidit, quia *Magna fecit ei DEUS*, dum *Ancillam* in Angelorum Reginam elegit, eíq; gratiam contulit, communem cum Patre æterno Filium habendi, in præſepio collocandi, adorandi, faſciolis & brachijs illigandi, amplexibus ſtringendi, oſculis diſſuaviandi. Si Ecclesia quaſi quodam ſtupore defixa, admiratur Numinis divini bonitatem & clementiam, dum in hymno Ambroſiano cantat: *Tu* (ô DEUS) *non horruiſti Virginis uterum*; quantò magìs obſtupeſcendum eſt, quòd immenſus DEUS non horreat, ad vocem Sacrificantis, Divinitatem cum Humanitate conjun-

junctam ſub *ſpecies* Evchariſticas abdere, & ad nutum ſe movendum, manibúſque tractandum permittere? O Sacerdotium, verè *Regale*! Petri 1. c. 2. Reges enim ſupplices ad Aram procumbunt; Sacerdos altior Regibus, velut Legatus ac Pacificator, ſtans pro ſupplicantibus exorat. O dignitatis amplitudo! ô honoris ſublimitas! Hujus præcellentiâ muneris Chryſoſtomus attonitus, in hanc vocem erumpit: *Quo non oportet eſſe puriorem, tali fruentem ſacrificio? quo ſolari radio non ſplendidiorem manum, carnem hanc dividentem? os, quod igni ſpiritali repletur? linguam, quæ tremendo nimis ſanguine rubeſcit?* hom. 83. in Matth. Quis jam miretur, D. Franciſcum dicere ſolitum, ſi cui beatorum Geniorum è cœlo delapſo, & cum aliquo Sacerdote ambulanti occurreret, priùs Sacerdotis manum oſculaturum, deinde beato illi honorem habiturum: ſuo præterea exemplo, quanta eſſet Sacerdotij præſtantia, oſtendit, cùm, ut inauguraretur, induci nunquàm potuit; atque ut, qualis puritas Sacerdoti eſſet neceſſaria, indicaret, in cryſtallina phiala limpidiſſimam aquam exhibuit, ſymbolum animi labis expertis, & nullo luto infecti. Unde viderint, quid agant; qui potiùs

impetu, quàm ratione; magis pecuniarum, quàm animarum amore; magis ſui commodi, quàm honoris Divini ſtudioſi, veſte ſacra, mente profana, ad Sacra irrumpunt, tremenda myſteria tractant; ſupra *candelabrum poſiti* non tam lucem & puram flammam, quàm tetrum fumum & fuliginem ſpargunt; quibus illud gentilis Poëtæ Statij meritò occinatur:

-- procul hinc, procul ite nocentes,
Si cui corde nefas tacitum, ſi conſcia dira
Mens culpa &c. Inſontes, caſtóſque voco.

Tibi verò honorem hunc gratulandi tantò plures cauſas habeo, quantò paratior integriórque ad munus Sacerdotale acceſſiſti. Lucernam te doctrinâ virtutéque præſtas, *ardentem & lucentem*, qualem Servator in Joanne Baptiſta laudavit, Joan. 5. Lucernam, inquam, *ardentem* ex ſententia S. Bernardi, propter mentis fervorem; *lucentem*, propter doctrinæ ſplendorem: nam, ut idem teſtatur, tantùm lucere, vanum eſt; tantùm ardere, parùm; ardere autem & lucere, perfectum. In hac *luce exultat* S. Mater Eccleſia, Joan. 5. & illud pſalmi 131. lætabunda decantat: *Paravi lucernam Chriſto meo*, non fumigantem, non oculis, non naribus gravem; ſed

clarè

clarè emicantem, & vitæ innocentiâ, exemplíque boni ſplendore alios illuminantem, atque accendentem; qui litterarum ſtudia cum pietate ſic conjunxiſti, ut magnam ex utroque laudem ſis conſecutus. Et niſi me fallunt auguria, jam nunc præſagio, hanc Dignitatem non modò Tibi, tuæque familiæ, ſed in commune Bonum, Deique ter Max. Optimi honorem ac gloriam præclarè ceſſuram. Supra *Candelabrum* es collocatus, & quidem *aureum*, ut auream inde charitatem in alios, velut lucem, effundas, tenebras ignorantium diſcutias, pedes errantium dirigas, calorem in frigidis pectoribus excites, facem ad cœlum præluceas. Hæc ſunt officia *Lucernæ* Evangelicæ, hæc ornamenta Sacerdotij, quæ tibi ex animo gratulor, ſacrámque *benedictionem* peto, & conſecratas manus venerabundus exoſculor. Vale quàm optimè, & in *Primo*, ceteríſque Sacrificijs tuis meî meminiſſe ne omitte, pariter tuî memor in precibus, & Sacrificijs meis futurus.

XVI.

ERHARDO FALCONIO, & ROSINÆ BELLOVIÆ,

Novis Nuptis Gratulatio.

QUod felix, fauſtúmque vobis eveniat, Novi Conjuges, dulci recèns connexi eſtis vinculo, quod ligat in ſecuritatem, aſtringit in amorem; facit, ut, quod tanquam bonum ſemel electum eſt, ſemper poſſideatur. Hi ſunt *funiculi Adami*, hæc *vincula charitatis*, Oſee 11. v. 4. quibus corolla florida nectitur, nexáque Sponſorum capitibus imponitur; hoc ſub jugo, ſed ſuavi, deinceps incedendum erit; hoc onus ferendum pari fide, pari labore, ſed ideo leviore, quia communi. Fortunatæ nuptiæ, quibus Paranymphæ præfuerunt *Charites*, & ſua munera ſparſerunt, formam ſcilicet, opes, genus, &, quod omnia ſuperat, virtutem ac probitatem: quod Siracides cap. 26. v. 3. de conjuge ſelecta effatus eſt: *Pars bona, mulier bona, in parte timentium DEUM, dabitur viro pro factis bonis.* Idem de marito laudari

dari poteſt: *Pars bona, vir bonus, in parte timentium DEUM, dabitur puellæ pro factis bonis.* In magnis cœli donis numerandum; uxorem reperiſſe placidam, pudicam, modeſtam, commodam, qualis fuit Rebecca Iſaaci, Rachel Jacobi, Sara Tobiæ; neque minor eſt felicitas, acquiſiviſſe maritum frugalem, ſobrium, prudentem, fidelem. Hæc ſors tam fauſta, quoniam vobis obtigit, quidni *Gratiæ* Epithalamium canant, corollas jaciant, & in parte chori ac hymenæi *concentus* Virtutum veniat? Talem Sponſum ſibi jungere meruit pietas Sponſæ; talis Sponſa debebatur probitati & precibus Sponſi; nactus eſt uterque, qualem voluit & deſideravit; pro *factis* bonis, utriuſque votis annuit cælum. In ſponſæ laudes veteris verſiculi litteræ currunt:

Quæ tibi ducenda eſt, teneat P. quinque puella:
Sit Pia, ſit Prudens, Pulchra, Pudica, Proba.

Quod bonum, quantò difficilius eſt inventu, tantò majores ſunt agendæ DEO gratiæ, cujus providentiâ pares animis, fortunis, moribus ſociavit. Et quia moris eſt, donum aliquod nuptiale offerre; ut ne conſuetudini huic

huic deſim, mitto cum his litteris tabellam, magis ex imaginum ſignificatione, quàm artificio æſtimandam. Tres Nymphas, ſeu Charites, curavi pingi, quarum una præfert *Anchoram*, altera *Lyram*, tertia *Annulum*, quibus epigraphen adſcripſi;

BONA CONJUGII.

Per Anchoram deſignatur Navis; per Navim FIDES ſeu FIDELITAS, quam conjugum alter alteri præſtare tenetur. Sapientiſſimus Regum, laudaturus fortem & prudentem mulierem, comparat eam *Navi Inſtitoris de longè portanti panem ſuum*, Prov. 31. ut indicetur, quanti interſit, uxorem eſſe ſedulam & induſtriam, ſuámque fidem marito per omnia probantem; inde enim magna rei domeſticæ incrementa naſcitura. Hujus ille navis rectorem ſeu nauclerum agit, cui ſe conſors thalami regendam & gubernandam committit; à quo nec in ſcopulos malarum ſuſpicionum, nec in falſos mœroris fluctus impellatur; qui ſtrenuam operam navat, ne quod boni conjugis & patrisfamilias officium in ſe deſiderari patiatur; qui leniter uxorem inſtruit, dirigit, corrigit; in partem curæ œconomicæ admittit, claves domûs committit,

tit, conſiliorum ſuorum participem facit, libertatem ei ad ſua munia peragenda concedit, facítque, quod loc. cit. Prov. Salomon monet: *Confidit in ea* (conjuge) *cor viri ſui, & ſpolijs non indigebit*: tantum enim ſolatij, emolumenti, fructûs ex induſtria & fidelitate uxoris ſui conſequetur, ut non opus ſit in militiam abire, ſtipendia facere, vitæ periculis ſuſtentationem redimere, & ſpolijs inhiare: útque Nauclerus navim in quamlibet partem flectit & reflectit, ſic uxor obſequentem ſe marito præbebit, & ejus voluntati ac moribus accommodabit: mutuò honorem & reverentiam exhibebunt; ita Sara maritum ſuum Abrahamum vocabat *dominum*, ipſe eam *dominam*: in utraque fortuna, alter alteri opitulabitur, & patientiâ vincent, ſiquid moleſtiarum intercedat; pietate præſertim ergà DEUM & Cœlites certabunt, ſibíque propitios reddent. Certè nauclerus in tempeſtate, ventis & procellis, ad cœlum & ſtellas, præſertim polares, reſpicit, ut diſcat, ubi terrarum ſit, eóque navigium dirigat, quò appellere contendit. Faciat idem maritus, & uxorem, magìs exemplis quàm verbis, ad Divini Numinis, virtutíſque cul-

cultum præcedat. Atque hæc de Navi conjugali; ſequitur *Lyra.*

LYRA ſeu CITHARA

Concordiæ conjugalis ſymbolum.

Magnum Matrimonij bonum eſt, conſonantia animorum ac voluntatum, quæ per chordas citharæ inter ſe concordes exprimitur: hac ſymphonia nihil eſt ſuavius, nihil jucundius; contemperanda læta triſtibus, triſtia lætis. Harmonia ex diſſimilitudine ſonorum exiſtit; ſi mœſtitiæ nubes obſidet frontem & animum mariti, abſtergat eam uxor; ſi hæc aliqua perturbatione obducitur, componat eam ad ſerenitatem maritus; juxta Siracidem, *Mulier fortis oblectat virum ſuum, & annos vitæ illius in pace implebit*, c. 26. v. 2. Hoc eſt encomium ſtrenuæ & ſedulæ matronæ; hæc ſuâ induſtriâ, labore, comitate, manſuetudine, humanitate oblectat virum ſuum, moleſtias detergit, curas levat, ætatem prolongat, & quaſi quædam ſuaviter canens citharædria mulcet, recreat, & reficit. *Concordia* à conſenſione cordium dicitur; ſit igitur unum Cor in duobus corporibus; ſit

Velle

Velle ac nolle ambobus idem; ſociatáque læto
Mens ævo, ac parvis dives concordia rebus.

Et alius canit:

Lite fugant nuptæq; viros, nuptásq; mariti,
Inque vicem credunt rem ſibi ſemper agi.

Procul querimoniæ & jurgia; procul vipereus diſcordiæ partus; nullum memorabile nomen feminea in pugna. DEUS & Natura illam ſubjecit viro, non ut ſervam, ſed ut adjutricem & ſociam. Si qua offenſiuncula (nam homines ſumus) intercurrat, non ſinatur in ignem erumpere. Uxor ſibi dictum putet: *Cede majori*; maritus, *parce minori*: à chalybe & ſilice colliſis excitatur ſcintilla; hæc abit in flammam, niſi maturè ſopiatur. Siqua fidium in cithara diſſonat, non eſt intendenda, ut rumpatur, ſed temperanda, ut conſentiat & conſonet; abſit aſperitas à marito, ſuperbia ab uxore; ſic concordabit Lyra. Idoneum in hanc carmen ſuppeditat Epigrammatarius:

Inferior matrona ſuo ſit, Priſce, marito,
Non aliter fiunt femina, vírque pares.

ANNU-

ANNULUS PRONUBUS
Seu
Nuptialis amoris mutui teſſera.

Inter amoris pignora ac ſymbola jam olim Annulus cenſebatur; unde conſuetudo profluxit, ut, qui conjugalem ſocietatem erant endituri, mutuò ſibi annulum offerrent, digitóque inſererent, ut nullo non loco in conſpectu haberent arrham fidei ſibi datæ, nexúsque amore ligati. Digitus, quem eo pignore devinciebant, quartus erat in manu ſiniſtra (unde Annularis dictus) quòd in eo digito vena quædam reperitur, ad Cor uſque, tanquam ad amoris ſedem, pertingens. Certè in Annulo omnes conjugalis amoris, fideíque conditiones, velut gemmæ, includuntur. Nam inprimis ex auro conflatus eſt: quis autem neſcit, charitatem & dilectionem per hoc metallum ſignificari? pretioſum eſt aurum, pretioſus amor caſtus, & virtute ſubnixus: aurum commendatur à puritate, amor à ſinceritate; aurum ſit probum, obryzum, nullâ ſcoriâ permixtum; amor careat fuco, nullo ſiniſtro vitietur affectu: plumbeus eſt, non aureus, ſi magis in formam & opes, quàm in probitatem feratur. Annulus eſt fidei datæ

ſerva-

ſervator, arcani cuſtos, ſignaculum ſecretorum, tutela amicitiæ. Magnus fertur Alexander Hephæſtioni, amicorum primo, poſtquam matris Olympiadis epiſtolam ei legendam dediſſet, os annulo obſignâſſe, ne quando proderet, quæ legiſſet. Amor hoc requirit, fidus & fidens, cujus ea vox: *Secretum meum mihi*, addo: *& meo conjugi.* Unius oris, unius ſumus pectoris; hoc ſigillum nulla ſpes, nullus metus, nulla felicitas, nulla calamitas reſolvet. Veteres imaginem ejus, quem amabant, in annulis geſtabant, ut eorũ aſpectu recordarĕtur dilecti; unde illud adagij, *aliquem in oculis ferre.* Illuſtre hujus rei documentum dedit uxor Tigranis, regis Armeniæ, quæ, ut refert Xenophon, cùm ex Aula Cyri Regis Perſarum ad maritum, captivitate liberatum, revertiſſet; ab eo interrogata, quid de Cyro, & Cyri pulchritudine ac comitate ſentiret, reſpondit: Abs te, ô marite, Deos teſtor! nunquam oculos deflexi; itaque quæ ſit forma Cyri prorſus ignoro. In hoc uno dicto apparet, quanta ſit vis amoris conjugalis. Annulus præterea rotundus eſt, æternitatis ſymbolum, fine caret: conſtantia & perpetuitas amoris indicatur; convivendum vobis & commoriendum eſt; hoc exigit amor,

hoc fides conjugalis, hoc annulus non tam digito, quàm cordi inditus, hac mente amborum manus, ſacerdotali ſtolâ copulatæ, perpetui vos fœderis admonuerunt. Quàm multas igitur habeo cauſas, vobis gratulandi Nuptias, quibus interfuerunt tot *Gratiæ*, quot ſunt felicis Matrimonij *Bona*. Veriſſimè Siracides, *Gratia ſuper gratiam, mulier ſancta & pudorata*, Eccli. 26. Talis eſt ſponſa, talem meruit accipere Sponſus; ex illa, tanquam ex fonte lacteo fluent dulciſſimorum pignorum deliciæ; hic verò, *hauriet jucunditatem à Domino*, Prov. 18. qui tale par conjunxit. Claudo hanc epiſtolam cum Chriſtiano gentilis Poëtæ voto:

Felices ter & ampliùs,
Quos irrupta tenet copula, nec malis
Divulſus querimonijs
Supremâ citiùs ſolvet amor die. Horat. lib. 1. carm. Od. 13. Claudo, & ſubjungo:

Vivite concordes, læti, belléque valete.

XVII.

XVII.

REVERENDISSIMO & AMPLISSIMO PRÆSULI

HUMBERTO à LONGAVALLE,

Salutem, & felicitatem Natalitiam.

QUi Poëtas imitantur, Ampliſſime Præſul, ſolent pro felicis Diei Natalis ſeu apprecatione, ſeu aggratulatione inſtruere Currum, *Horas* ei imponere, Nympharum ſpecie renidentes, candidas, fauſtas; jungunt Solis equos, inſtituunt per innubem æthera triumphum, ſpargunt flores & corollas, pangunt feſtiva carmina, feſta Genethliaca varijs votis ac muneribus celebrant. Nam & Parcas, fatorum Præſides, evocant ad ſtamina vitæ, byſſina & aurea, nenda, ad annos Neſtoreos contexendos; inducunt volantes per cœlum Genios, ex Copiæ cornu dona mittentes; ab ipſis cunabulis arceſſunt præſagia & auguria; aperiunt recens nato *Virtutis* ac *Honoris Templum*; applaudunt *Horoſcopo*, & Siderum confluxui, quorum radijs parvus puſio primitus luſtratus eſt. Ipſi ad cunas de-

tuliſſe ſua munera finguntur Divi: Jupiter honores, Mercurius opes, Mars belli pacíſque claritatem, Saturnus longævitatem, Phæbus lumen juventæ, Venus morum ſuavitatem, Pallas eruditionem, & plura hujuſmodi commenta ex Heliconijs hortis decerpta. Nos verò, quibus non licet eſſe tam diſertis, more ritúque Chriſtiano, ſanctioribus votis, fauſtioribus auſpicijs indulgemus: Hymnos Deo, laudéſque ſolvimus, quòd ex infinito hominũ numero, quos condere & in vitã producere potuiſſet, nos elegerit: ſorti noſtræ gratulamur, quia primis à cunabulis felices eſſe cœpimus, è materno ſinu in gremium Orthodoxæ Eccleſiæ effuſi, & in cenſum filiorum DEI cooptati. Communis eſt hæc felicitas; peculiaris & paucis conceſſa, quæ tibi obtigit, Præſul Reverendiſſime, quem DEUS & Natura in hunc orbem induxit, omnium virtutum choragio circumdatum, decus infulæ, ornamentum Eccleſiæ, lumen Præſulum, dignum immortalitate, ſed ſerò adeundâ; nam quem leges naturæ non ſinunt ſemper vivere, eum Virtus nunquam permittit mori. Quòd ſi vita theatrum eſt, in hoc certè theatro, Præſul Ampliſſime, *Actor* es, quem Boni omnes diutiſſimè ſpectare exoptant. Si dies feliciores

res albo notabant calculo Veteres, quid ni gemmis nive candicantibus ſignetur dies,quâ tu in lucem prodijſti, & primis ab unguiculis omina præmiſiſti, adeò clara & lucida, ut ſequentem ætatem Tiarâ ſacrâ, gemmis & virtutibus inter ſe certantibus, meritò coronârit. Vates Regius inter memoranda Divini Numinis beneficia reponit vitam longævam, ideóque gratias agit, quòd reſponſum Oraculi acceperit, *Longitudine dierum replebo eum,* pſal. 90. Habemus ſanè, cur precatibus enixis rogitemus, ut ille Mundi Rector & Conſervator *repleat longitudine dierum*, Reverendiſſimam & gratioſam Dominationem tuam, ejúſque *annos de noſtris augeat annis*; ut omnes temporis partes, in multiplicem circulum reflexas, jubeat ire fauſtas, candidas,& in longum ævum extentas. *Horas* per anni ſpatium labentes numerant Mathematici octies mille, ſeptingentas, ſexaginta ſex; Horæ *Quadrantes* ſexaginta quatuor, ſupra trigeſies & quinquies mille; *Minuta* quingenties mille, vicies quinquies mille, nongenta ſexaginta. Hic numerus Votis meis incluſus, toties,opto, ut redeat & refluat, donec annum expleveris, eúmque SECULAREM. Si, quod ajunt Philoſophi, *ſidera poſſunt*

inclinare, *non cogere*, omnia ſanè Zodiaci Signa oſtendunt, felici te ſidere natum, & ad cœli obſequia inclinatum eſſe. *Aries* (fas ſit de Die Natali loquenti, oculos per ſublimiora circumferre) auream lanam offerens, liberalitatē in egenos notat. *Taurus* ſtellatus, laboris & induſtriæ œconomicæ facem præfert. *Gemini*, charitatis inſitæ imaginem repræſentant. *Cancer*, cum Luna incrementa & decrementa ſubiens, conformitatis cum Divina voluntate ſymbolum exhibet. *Leo*, in utraque fortuna magnum & excelſum animum deſignat. *Virgo* caſtitatis & integritatis tuæ; *Libra* temperantiæ & ſobrietatis, index eſt. *Scorpionis* inſidias prudentia tua perſpicit, perſpectáſque cavet. Arcus *Sagittarij* ſemper intentus vigilantiam docet. Capicornus per alta rupium ſcandens, *Converſationem* tuam *in cælis* (ut Apoſtolus loquitur) indicat. Hæ ſunt Illæ faces, quæ eximio ſplendore Diem Tibi Natalem, illuſtrem reddunt; hæ ſunt *Inclinationes Naturæ* & *Gratiæ*, ab ipſo vitæ exordio, Divino in te favore derivatæ; hi flores, Diem Genethliacum exornantes; hi lapilli, lucem primam conſignantes. Verùm, quid Vota Natalitia in unius Diei felicitate conſumo? quid terminum ſæcularis ævi ſpatio

tio circumſcribo? omnia Votorum genera ſuperavi, ſi felix unius momenti auſpicium à Superis exoravi. Optent alij tot Tibi fauſtitates, quot lucent in cœlo ſidera, quot apes paſcuntur in Hybla, quot habet terra herbas & gramina, ſilvæ frondes, arbores folia, meſſis ariſtas, æther volucres, & quæ ſunt aliæ vulgarium optationum formulæ. Ego verò Votorum omnium Summam *unico momento*, quod tibi auſpicatum illucere cupio, concludo. Atque hoc eſt illud momentum, non quô naſcimur, ſed quô denaſcimur; non quo orimur, ſed quo morimur; momentum, ex quo pendet æternitas. O beatum illum, cui contingit, vitæ ſuæ periodum hac clauſula finire! ô nimiùm fauſtum ac felicem diem Natalem, qui nos transfert ab exilio in patriam, à luctu in gaudium, à curis laborioſæ vitæ in æternam requiem! ad hoc Momentum, quia dudum te præparâſti, Religioſiſſime Præſul, quid optatius tibi apprecari queo, quàm ut illud quidem tardiùs illuceat, donec annis & meritis auctus, Diem fatalem, more Sanctorum habeas Natalem. Ignoſce, lætitiam feſtivæ lucis, memoriâ mortis corrumpenti: hujus exoptationis auctorem ha-

beo Salomonem, qui Eccl. c. 7. *Melior*, inquit, *eſt dies mortis, die Nativitatis*. Et cur? Natalitius dies in turbulentum hujus vitæ pelagus nos immittit; tranſitus verò in tranquillum portum adducit: quæ cauſa fuit, cur Thraces olim ſuorum natales fletu, diem obitûs riſu proſequerentur. Quæ quidem à me non eò diſputantur, quaſi aliquid decerpere velim de lætitia Diei, quæ te prima meliore Sole excepit; ſed ut oſtendam, geminari gaudium lucis tam feſtæ, cujus Ortus, cùm fuerit Gratiarum Choro condecoratus, quem alium meretur Veſperum, quàm Virtutibus tuis dignum, & cœlitum plauſibus proſequendum? Qui tamen, quod jam exoptavi atq; iterum opto, ut ſerus jubar tuum orbi ſubducat, & inter aſtra novum lumen accendat. Ita precor, ita voveo, & me demiſſiſſimè gratioſæ Dominationi Tuæ commendo: ſi æquô prolixiùs hanc epiſtolam extendi, id fæcunditati argumenti imputandum eſt, & ignoſcendum Clienti, Patronum optimè de ſe meritum, cùm factis non poſſit, ſaltem fauſtis votis proſequenti, & ſeſe humillimè in gratioſum ſinum commendanti.

XVIII.

XVIII.

CONSOLATORIA

AD MARCELLAM RIGATIAM Matronam nobilem, & Viduam,

In funere unici filij.

QVibus ordiar verbis epiſtolam, magìs lacrimis, quàm atramento exarandam? ad matrem ſcribo, & ad viduam, & in acerbiſſimo funere. Filium amiſiſti; quid triſtius? unicum; quid afflictius? hæredem omnium fortunarum; quid calamitoſius? fulcrum familiæ, baculum ſenectutis; quid luctuoſius? juvenem; quid inexſpectatius? quæ ſpongia abſtergat lacrimas mæſtiſſimæ parenti, deſolatæ viduæ? Vetabo lugere, tot nominibus miſeram? hoc ſit ipſi naturæ velle vim inferre: erigam te, in tot ſimul dolores velut in ſalſos fluctus conjectam, tantis ærumnis proſtratam? *Noli flere*, viduæ quondam dictum, unicum filiúm efferenti; ſed ille dixit, qui mortis & vitæ Dominus, juſſit ſtare veſpillones, & ipſam mortem telum ſuum recondere. Equidem Defunctus ex feretro vivus

ſurrexit, Mater recepit filium, laudes ſuſcitator extincti. Equidem

Sedatur lacrimis, egeritúrque dolor.

Et Siracides c. 38. *In mortuum produc lachrimas, & quaſi dira paſſus, incipe plorare.* Quæ potuiſſes diriora pati, quàm jacturam unici filij, in florenti ætate, in maximæ ſpei curſu, erepti? exuit vitam, non redituram. Et quis temperet à lacrimis, qui cogitat matrem in tanto luctu poſitam? *Neceſſe eſt*, inquit Auguſtinus, ſerm. 34. de verbis Apoſt. *ut triſtes ſimus, quando nos moriendo deſerunt, quos amamus, quia etſi novimus, eos non æternùm relinquere nos manſuros, ſed aliquantùm præcedere ſecuturos, tamen mors ipſa, quam natura refugit, cùm occupat dilectum, contriſtat in nobis ipſis dilectionis affectum.* Et ſi S. Hieronymus in conſolatione ad Paulam in morte filiæ Euſtochij, humanitatis ſenſu commotus, ſcribit: *Quid agimus? matris prohibituri lacrimas, ipſi plangimus. Non eſt optimus conſolator, quem proprij vincunt gemitus. Teſtor, mea Paula, JESUM, eadem me perpeti dolorum tormenta, quæ tu pateris: confiteor affectus meos; totus hic liber (epiſtola) fletibus ſcribitur.* Chriſtus ipſe, qui potuit imperare

mari

mari & ventis, non imperavit oculis, quin eos, commiſeratione tactus amici Lazari fato erepti, lacrimis implêrit. Tantum igitur abeſt, ut in te accuſem luctum ex demortuo filio conceptum, ut etiam pietatem hanc, materni amoris teſtem agnoſcam & collaudem. Hoc potiùs his litteris ago, ut te moneam, *ne quid nimis* etiam in juſto planctu. *Modicum plora*, ait Siracides c. 22. *ſupra mortuum, quoniam requievit.*

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines.

Non culpamus fletum, niſi cùm excedit modum, ait D. Bernardus. Requievit filius tuus, & requieſcit in DEO, quoniam obdormivit in DEO, & reſurget cum DEO pro nobis in Cruce mortuo. An adferam vulgatas illas rationes ſolandi? videlicet communem omnibus moriendi neceſſitatem; ad mortem naſcimur; in vitam exituri ingredimur; mortalem genuiſti, mortalem tumulo intuliſti. Noli te, filiúmque tuum ab hac ſorte velle eximere. Deinde cur invideas libertatem adoleſcenti, hujus vitæ ærumnis abſoluto? è turbulento mari in portum eſt delatus. Eccleſiaſtes dicere non dubitavit: *Laudavi magis mortuos, quàm viventes.* Quòd ſi Ethnicæ quoque ſuperſtitionis homines

mines æquo animo charorum mortes tulerunt, quid te facere par eſt, quam Chriſtiana virtus dudum obarmavit adversùs caſus acerbos? feramus patienter, quod mutare non poſſumus. David, ubi intellexit filium infantem ex Berſabea ſuſceptum, è vivis abijſſe, poſuit luctum ac fletum, & memorandam ſententiam pronuntiavit: *Nunc quia mortuus eſt, quare jejunem? Nunquid potero revocare eum ampliùs? Ego vadam magìs ad eum: ille verò non revertètur ad me.* 2. Reg. 12. Regis hujus ad exemplum in virtutem vertenda eſt neceſſitas. Quid quòd in Depoſitum & pignus accepiſti filium à DEO; an pugnabis, *Commodatum* ſuum repetenti? At cogeris carere amantiſſimi tui præſentiâ, & dulciſſima conſuetudine: an minùs tolerandum fuiſſet, ſi dilectus tuus, negotiationis aut militiæ causâ maria transfretâſſet, & in peregrinas terras longiſſimè à te divulſus; in barbaram ſervitutem abreptus fuiſſet? Hæredem bonorum perdidiſti: qualium? quæ effodiunt fures, conſumit ærugo, mille injuriæ auferunt: hæreditatem cœli adijt, nullis caſibus obnoxiam. Auxilio & ſolatio te deſtitutam quereris: non firmiùs adhæreſcis DEO, ut fiduciam tuam in homi-

homine colloces : ideo fortè filium tuum (liceat cum bona pace hoc dicere) perdidiſti, quia nimiùm eum amâſti, & plus, quàm decet, ſpei in eo poſuiſti. At juvenis fuit, & florentiſſimæ ætatis, magnæque innocentiæ: quid ſi *raptus ſit, ne malitia mutaret intellectum? Placita enim erat DEO anima illius, propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum*, Sap. 4. Periculum lubricæ ætatis evaſit; *Facilius ad Superos iter eſt animis, citò ab humana converſatione dimiſſis; minus enim fæcis, ponderiſque ſentiunt*, ait Seneca. Portus nobis omnibus petendus, in quem ſi quis primis in annis eſt delatus, non magìs queri debet, quàm qui citò navigavit: argumentum amoris eſt, celeriùs hinc eximi, ne polluat contagio. Floſculus, ſi optare poſſet, mallet, dum viret & vernat, in ſertum legi, quàm adultior pruinâ aduri, ac in fimetum abijci. *Defleamus eos*, ait D. Hieronymus, *qui ad Tartara properant: ad Cœlum euntes cur ploremus? Cõſummatus in brevi explevit tempora multa.* Filius annos ſupergreſſus eſt virtute; maturum cœlo probitas fecit. Habes igitur cauſam, potiùs gratulandi Anſelmo tuo, quòd, effracto corporis ergaſtulo, ad Superos evolârit;

lārit; quòd, brevi fine moleſtæ peregrinationi impoſito, in patriam cœleſtem emigrârit; quòd, mundi hujus periculis ſubductus, innocentem animam Conditori ſuo reddiderit; quòd cum Divina voluntate egregiè conformatus ex hac vita deceſſerit, tibíque exemplum reliquerit moriendo, quod tu imiteris vivendo. Hoc potiùs agamus: defuncti animam precibus, Sacrificijs, liberali eleemoſyna proſequamur. Heroicæ virtutis eſſet, patrimonium filij in pietatis ac charitatis opera tranſcribere, & defuncto tabernaculum in cœlo, claris lucentius ſmaragdis, parare. Ille quidem præceſſit, & ſecuram ſtationem tenuit; nos eódem tendimus, ſeriùs aut citiùs tumultuoſum curarum & laborum pelagus tranſmiſſuri. Neque eſt, quòd te graviùs afficiat ultima Anſelmi cum morte lucta, & paulò difficilior in agone pugna. Hic horror naturæ ſe diſſolventis etiam probiſſimos concutit, & exſpectatione futuri perſtringit. Permittit hoc DEUS, ut aculeis morbi patienter toleratis, pauculæ quædam peccatorum reliquiæ, & debita, cæteroquin luſtralibus flammis perſolvenda, unâ liturâ, ut dicitur, inducantur, animúſque his angoribus purgatus, rectâ ad æthereas ſedes evolet.

Jubet

Jubet hoc nos ſperare egregia Anſelmi, cùm probitas, tum conſcientiæ puritas. Memoriam ejus ſuaviſſimam, vide, ne lacrimis corrumpas; hæc potiùs conſoletur, & gaudio perfundat matrem, *Dimidium Sui* eò præmittentem, ubi vitæ bene peractæ præmium alter ex alterius felicitate ſibi gratuletur.

XIX.

GILIBERTO ORESTINO.

Apprecatio Novi Anni.

OMnium fere gentium mos eſt, & jam olim fuit apud Romanos, ut ad ineuntis anni exordium, non modò bonis ſeſe invicem votis proſequantur, ſed etiam ultro citróque ſtrenas & xenia in conteſtationem amicitiæ miſſitarent. Ea munera & munuſcula fere fuerunt dulcia, ut caricæ, mella, liba, lagana; quô ſignificarent, annum felicem eſſe à dulcibus auſpicandum. Peccarem ego ſanè in officium amicitiæ noſtræ, ſi omitterem, annum exorientem, fauſtum tibi & fortunatum precari. Cùm verò diverſiſſima ſint mortalium vota, & ſæpe ipſis voven-

voventibus perincioſa, quippe juxta Satyricum.

Evertêre domos totas optantibus ipſis
Dî faciles: nocitura togâ, nocitura petuntur
Militiâ.

Et alius canit:

Denique quid Superos oret, pars maxima
neſcit,
Tam nova quiſque ſibi vota, precéſq; facit.

Ego, quid pro felici anni auſpicio tibi potiſſimùm apprecer, haud-immeritò dubius hæreo. Jam illa vulgaria ſunt, & bonis malíſque communia, optare, ut dies fluant aurei; ſereni fulgeant ſoles; arca flagellet nummos, horreum fruges; & quæ ſunt horum ſimilia temerè optantium deſideria: de quibus Boëtius:

Quid dignum ſtolidis mentibus imprecer?
Opes, honores ambiant:
Et cùm falſa, gravi mole paraverint,
Tum vera cognoſcant bona.

Unde vetus Poëta amico optavit *Sanam Sano in corpore mentem*: haud ſanè inficetè; quid enim dignius homine? quid exoptatius illi ſit, quàm corpore, animóque bene valere? quid enim robur athleticum, quid lacertoſi Milonis tori, ſi mens infirma, & con-

conſilij expers? ſi vaſto corpore Polyphemus, ſed uno tantùm ſit oculo præditus? quid magnæ ædes, ſed non habitatæ à *Prudentia* & *Ratione*? Ergo in vota veniat, non tantùm bona valetudo, ſed etiam bona mens, virtute & ſapientiâ ornata. Quæ duo, ſic in te conjuncta ſunt, ut non tam habeam, quòd apprecer, quàm quòd gratuler Jani tibi Calendas, ex utraque hac ſanitate auſpicatas; ut dubium relinquatur, corporíne, an animo benignior natura fuerit, majorésve DEO gratiæ debeantur. Hoc igitur precor atque opto, ut tueatur ſua in te munera Dator bonorum omnium, & bifrontis imaginem Jani in te conſervet, *Bonam* ſcilicet *Mentem*, *& bonam Valetudinem*: quid enim bonus navarchus in rimoſa efficiat navi? quid prudens habitator in lacera domo? quid detracta ſanitate in hac vita gratum ac jucundum? *Vivere non eſt, ſed valere, vita.* Antiqui *Hygeiam*, ſeu *ſanitatem*, Deam conſtituebant, aras illi erigebant, ſacrificia faciebant, in ejus honorem in convivijs bibere ſolebant, & *Hauſtum Sanitatis* vocare. Duplicem hanc valetudinem ex animo tibi precor, Deúmque enixè rogo, ut *benedicat coronæ anni benignitatis ſuæ*, Pſal. 64. &

totius anni hujus circulum, ſtatis temporibus ac gyrationibus in modum coronæ circumvolutum, ſuæ benignitatis & cœleſtium donorum copiâ fœcundet, corporíſque & animi felicitatibus te coronet. Ne verò ſolis votis auſpicium novi anni peragam, in ſtrenam offero machinulam horariam, ſeu horologium rotatum, è ligno quidem fabrefactum, non mutum tamen & elingue; indice ſeu lingula horarum numerum demonſtrat, malleo ad vitrum alliſo loquitur, & oculis, auribúſque officioſus monitor inſervit. Ex hoc meliùs, quàm ex loquaci Dodonæ quercu diſcimus, opportunè tempora diſtinguere, actiones diſponere, dicenda tacenda moderari; eſt enim *tempus tacendi, eſt tempus loquendi*, quod per intervalla in horologio obſervatur: diſcimus, non verbis modò, ſed factis loqui; nec aliter ſonare, aliter ſignare; aliud linguâ promere, aliud pectore premere. Pondera ſurſum deorſum trahenda, rerum humanarum mutabiles vices indicant. Motus, per diverſas rotulas ciendi, docent patremfamilias, exemplo ſuo alios regere; docent hominem appenſis ponduſculis res qualibet non impetu, ſed ratione librare. In horologio motus externi ab interioribus

ribus pendent; exterior forma ad interiorem componenda; è lingula, orbem horarium circumeunte, metimur, quomodo interanea ſint conſtituta. Sonitus malleoli per rotulas agitati ſignificat, multa priùs agitanda animo, antequam loquaris; ſæpius ad limam, quod ſemel ad linguam. Horologium *excitat* & *dirigit*: alios docere volenti, priùs excitandi ſunt ad attentionem animi, poſtea præcepta ingerenda. Labori eſt aſſueſcendum; nam in horologio nec mora, nec requies; aberrat, ſi ſtare incipit; unde opus rectore, qui ſæpius illud reviſat; ſi ceſſet, admoneat; ponderibus etiam aggravet & urgeat, ut officium faciat. Horologium elapſas nuntiat horas, ut meminerimus, ſic vivendum eſſe nobis, quales vellemus mori. Horologium movetur mutuis auxilijs; pondera impellunt rotulas, ut gyrentur; hæ gyrando attollunt pondera; nimirum alter alterius ſublevamine indiget. Horologium nec æquô incitatius, nec tardiùs ambulet; in medio virtus; aurea eſt mediocritas. Horologium non deſinit priùs moveri & inquietum eſſe, donec audiatur; ponderibus ad hoc adigitur, ſine quibus obmuteſcit: afflictiones hominem docent ora-

re; id exemplo ſuo Regius Vates teſtatur: *Ad Dominum, cùm tribularer, clamavi, & exaudivit me*, Pſal. 119. In Horologio hoc malleolus non ad æs, ſed ad vitrum alliditur, & ſonum edit: nemo ſibi ſecuritatem vitæ promittat; improvisò frangitur; morbis pulſata gemitu reſonat. Horologium non quieſcit, niſi abſoluto circulo redeat ad punctum, unde curſum incepit. Vitam noſtram à DEO commodatò accepimus; reddenda eſt., & Auctori ſuo reſtituenda ad ipſius arbitrium. Interea inſtar horologij per omnes horas, & momenta circumagitur, nec quieſcit, donec, circulatione abſolutâ, repetit curriculi ſui exordium: *Inquietum*, inquit D. Auguſtinus, *eſt cor meũ, donec requieſcat in Te Deus*; ponderibus ſuis librata ad te trahitur, ad Te Principium ſuum redire naturali impetu contendit. Hos tu motus ſi diligenter obſervaveris, & ad Conditorem direxeris, felicem ſanè inchoabis, produces, finies annum; quô quid melius optem, in nullis votis invenio. Ingenioſè luſit Poëta recentior, uno pentametro optata ſua abſolvens, dum bono amico ſcribens precatur his verbis: Hic annus

Sit tibi Ariſtarchus, ſit tibi Ariſtoteles,

nempe optimè incipiat, ac optimè finiat. Idem voveo,

voveo, & exopto tibi ſincerè, candidè, amanter.

XX.

ADHORTATORIA

Ad litterarũ ſtudia diligentiùs proſequenda.

PATER FILIO

Salutem.

SÆpius adhortatus te ſum, fili, ut in litterarum ſtudia omni contentione incumbas, & nihil diligentiæ omittas, quam requirunt hæc ingeniorum exercitamenta. Quem in finem ad Academiam miſſus ſis, ſeriò perpendas, velim; ſi exſpectationem familiæ noſtræ fefelleris, tibi uni maximè nocueris. Non ignoras, quæ facultates ſint meæ, quàm difficilia tempora, quanto labore impenſæ in te faciendæ comparentur. Tres habes fratres, te minores, & geminas ſorores; iſtis omnibus providendum eſt, ut non modò honeſtè educentur, ſed etiam dotentur. Si codices meos rationiarios inſpexeris, facilè deprehendes, quid in victum, veſtitum, mercedem famulorum expendatur,

quantis curis quotidiana onera ſuſtineantur. Quibus eadem tecum naſcendi ſors obtigit, idem ijs eſt titulus exigendi, quod ipſis natura conceſſit. Quid reſpondebis? ſi juſtam prætendant cauſam conquerendi, æquo plus tibi ex hæreditaria portione adjectum, ipſis ſubtractum; peculium parentum, factis in te potiſſimùm ſumptibus, exhauſtum; fructum non reſpondiſſe impenſis; unius culpam plurium expiandam eſſe detrimentis. Certè teſtimonia, quæ abſoluto philoſophiæ curriculo retuliſti, non ſunt talia, ut ijs multùm gloriari poſſis; valde mediocrem præferunt notam, & tanti non emendam. Niſi in Juris Civilis diſciplina, quam nunc exorſus es, meliores progreſſus feceris, non levi me, matrémque tuam mœrore affeceris, causámque dederis, cum gemitu proſequendi malè collocatas in te pecunias: ſcis enim, quàm tardè hoc tempore reparentur nummorum diſpendia; quanta ſit copia officia Civilia ambientium; quàm difficiles ad curias & dicaſteria aditus; quàm ſalebroſæ ad honores & pinquiora ſalaria viæ; quàm accurata meritorum ad trutinam expenſio: terreant veſtigia multorum, repulſam ferentium; præclarum aliquid & excellens in ijs requi-

requiritur, qui cupiunt promoveri; multitudo ſe offerentium, viliorem mercedem, rariorem conditionem facit. Multis, qui Muſas perfunctoriè tantùm coluerunt, conflictandum poſtea fuit cum inopia; quibus ſatius fuiſſet, ſi ad mercaturam, aut ſcribæ officium, in forenſi aliquo dicaſterio obeundum, ſeſe applicâſſent. Proverbio quidem fertur, *aurea mediocritas*, ſed hæc mediocritas, quæ ex ſtudijs reportatur, planè plumbea eſt; niſi placeat *auream* dicere, quia multo conſtat auro, argentóque. Ne tibi imagineris, *Honoris Templum* reſerandum, niſi vel aurea clave, hoc eſt diſtributione munerum, quæ noſtri peculij non ſunt, vel quia opes deſunt, prærogativâ bonarum artium aperias. Qui in litterarum curriculo ſe exercent, niſi inter primos eluctentur ad metam, non tantùm bravium non conſequentur, ſed illud Sarcaſticum experientur: *Occupet extremum* (vel inter extremos) *ſcabies*; exſpectant illum ſordes domeſticæ, opprobrium familiæ, nihil profectura pœnitudo. Tibi, tuíque ſimilibus dormitatoribus timendum illud, quod minatur Salomon Prov. 6. *Veniet tibi quaſi viator egeſtas, & pauperies quaſi vir armatus.* Per

viatorem intelligit lictorem ſeu apparitorem (ut hoc nomen olim apud Romanos accipiebatur) quia propter inertiam invadet te turpis egeſtas, & coget te, acerbam vitam in magna rerum penuriâ ducere, prætéritósque otiosè dies irritis ſuſpirijs revocare. E contrario dulcis eſt fructus exantlati laboris: indicârunt hoc veteres emblemate, quô pingebant, hìc adoleſcentem expeditis lacertis, nudo capite, ligone terram proſcindentem; illinc ſenex, pellitâ ſuffultus togâ, in ſolio accumbebat ad genialem menſam, epulis, ſcyphíſque aureis inſtructam. Ad hanc menſam convivator potes eſſe & conviva, miniſter & herus, ſi nôſti commodis tuis proſpicere; quod hactenus minimè feciſti. Vale, & reſipiſce.

XXI.

INVECTIVA PARENTIS in ſocordem filium.

ORdior hanc epiſtolam verbis non meis, ſed illius, qui cum ſeveritate cenſoria ſummam ſapientiam conjunxit. Is, ut hominem ignavum à torpore excitaret, hoc

toni-

tonitru inſonuit : *Uſquequo piger dormies? quando conſurges è ſomno tuo?* Prov. 6. expergiſcere tandem, age, ſatage, labora; ſatìs datum inertiæ, ſatìs ſomnolentiæ, Endymion. Sex jam annis in ſcholis ſeſſitâſti, vix ad ſupremam Grammaticæ erepſiſti; tantum abeſt, ut laudem ullam publicam aut præmium retuleris, ut potiùs agmen, gradum ad altiorem claſſem facientium, inter poſtremos clauſeris. Frequentes tibi ſunt admoti ſtimuli ad excutiendam ſocordiam; crebriùs ingeſtæ admonitiones, increpationes, reprehenſiones; etiam minæ & plagæ; ſed veternum non expulerunt. Surdo cantatum; nec blandis quidquam promotum, nec aſperis. Pigritiæ peſtis te totum corripuit, & aures obſtruxit. Uſurpem ego hîc illud Horatij: *ô puer,*

Quantâ laboras in charybdi!
Quæ ſaga, quis te ſolvere Theſſalis
Magus venenis, quis poterit DEUS!

Ignavia tibi potionem infudit, & mentem ademit; Lethæo ſopitus poculo, nihil agis, quod gnavum & induſtrium adoleſcentem deceat. Interea volat irrevocabile tempus: accedunt anni; nihil accedit doctrinæ, aut profectûs: Præceptores tuos gravi moleſtiâ,

me triſtitiâ & mœrore afficis. Ingenium tibi non deeſt, ſed diligentia & cupiditas diſcendi. Jam conſtitueram, te à ſcholis avocare, & cuipiam pictori in diſciplinam tradere, ut, quando doctiorem neſcis tractare calamum, ſaltem diſceres colores terere, & penicillos extergere. Interceſſit huic conſilio amicorum quidam; ſponſorem ſe & vadem pro te obtulit, fore, ut intra dimidij ſpatium anni longè alia de te audirem, & præteritorum memoriam inducerem. Dedi hoc amicitiæ; indulſi petiti temporis ſpatium, intra quod, niſi lethargum abjeceris, ſum te excitaturus ſtimulo, quem tu non exſpectas. Hominem pigrum comparat Salomon agro, urticis & tribulis obſito. *Per agrum*, inquit Prov. 24. *hominis pigri tranſivi, & per vineam viri ſtulti: & ecce totum repleverant urticæ, & operuerant ſuperficiem ejus ſpinæ.* Ecce fructum deſidiæ! Tu tu, inertiſſime homuncio, es ager iſte, in quo

Urenda filix innaſcitur;

in quo dominatur infelix lolium, & omnia ſentibus horrent; tu neglectum hoc & incultum es ſolum, nullius rei, niſi Zizaniorum & tribulorum ferax. Pigritia malas herbas in te ſeminavit; mentem hebetavit,

tavit, ingenium obſcuravit, memoriam debilitavit, fibras diligentiæ & ſedulitatis omnes eliſit. In te convenit illud ejusdem Salomonis : *Vult & non vult piger*, cap. 13. remiſsè ſcilicet, languidè & ignavè : velles, cuperes, optares ad aliquam eruditionem pervenire, ſed ſine labore ; ſolis deſiderijs contentus, cùm tamen *Dij*, ut eſt in adagijs, *omnia laboribus vendant.* Saluſtius pronuntiat : *Ubi ſocordiæ atque ignaviæ te tradideris, nequicquam Deos implorabis.* Cum Hercule movenda manus & applicanda operi : promiſſis me hactenus lactâſti, ſed inanibus ; ſæpius illud corvinum iterâſti,

Cras hoc fiet, idem cras fiet, quid? quaſi magnũ
Nempe diem donas: ſed cùm lux altera venit,
Jam cras heſternũ conſumpſimus. Perſius Sat. 5.

Hodie, hodie capiendum ſarculum, malæ herbæ eruncandæ, ſpinæ eradicandæ, nec ulla die ceſſandum, donec repurgetur ſolum.

Nil exempta juvat ſpinis de pluribus una.
Horat.

Conſtantia jungenda labori : *Diem perdidi*, ajebat Cæſarum Romanorum quidam, ſi quâ die nullum in alios beneficium contuliſſet ; diem, tu crede, te perdidiſſe, quem ſine linea præterire, ſine fructu laboris & induſtriæ

elabi

elabi ſiviſti. O quis memoret, non dico horas, non dies, ſed hebdomades & menſes, quos tu otio tranſmiſiſti, & malè combuſſiſti. Tibi, tuíque ſimilibus è ſacris Proverbijs ingerendum eſt: *Qui congregat in meſſe, filius ſapiens eſt: qui autem ſtertit æſtate, filius confuſionis.* Prov. 10. v. 5. Æſtas & meſſis ſymbolum ſunt adoleſcentiæ & profectûs in virtute & litteris; item occaſionis & temporis, idonei ad rem bene gerendam. Stertit æſtate, qui malè tempus impendit, ſocordiæ ſe permittit, nihil in bonis artibus proficit, vivit tanquam non viveret, quia nihil agit, niſi quod actum nollet aliquando. Filius *ſapiens* eſt, qui in juventute ſeminat, quod in adultiore ætate cum laude & fænore metat. Filius *confuſionis*, qui deſidiâ torpens, ad nullam egregiam laudem aſpirat, nummos parentum perdit, fruges abſumit, & fructum nullum facit. Talis *confuſionis* filius tu es, qui tuâ deſidiâ teipſum, & parentes, totámque familiam dedecore afficis, dum omnium exſpectationem fallis, & cum fucis latam inglorius aluum trahis; dum in morem Arcadicæ pecudis, lentus ſub clitellis incedis, & condiſcipulos tuos, velut antevolantes Pegaſos lento

pede

pede ſequeris ; dum pudore *confuſus*, teipſum erubeſcis, & poſticam occaſionis calvitiem ſerò prehenſas ; dum pecunias inutiliter prodigis, & ideo multorum convitijs vapulas, magnóque emis, nihil ſcire ; dum velut oſtium in cardine verteris, & in ſtrato ignaviæ circumvolveris, Prov. 26. Movet ſe quidem oſtium, ſed nihil promovet, in eodem loco hæret ; & hoc eſt : *Vult piger, & non vult* : quid enim aliud ſunt deſideria pigrorum, quàm velle nolendo, quàm nolle volendo ? Tuæ ſunt illæ voces : *Leo eſt in via, & leæna in itineribus*, Prov. 26. Fingis difficultates, ubi non ſunt : cogitas metus ac pericula, quæ pueri quoque contemnunt : laborem ſtudendi non ſecùs horreſcis, quàm ſi chimera, qualis à Poëtis deſcribitur, tibi ſe obijciat, quæ flammas ut draco vomit ; rictus ut leo pandit. Et hæc etiam cauſa eſt, quare *piger* aſino aſſimiletur ; hæc enim beſtia mirificè leonem reformidat. Sed faxo, ut, niſi contra hunc leonem audentior eas, contra hanc chimeram Bellerophontem te præſtes, ego doceam aſinum iſtum ſub fræno currere, & alacriùs ſarcinam ferre. Obſipabo tibi pabulum haud paulò parciùs ; ſaturabo te paleis, quid enim

nim aliud mereris, frugiperda? rudiorem laciniam inijciam, ut, qui Epomidem nihili facis, Endromidem nauticam induas; in gyrum molæ aſinariæ te ducam, & ceſſatorem agitabo. Nimiæ me ipſum remiſſionis accuſo, qui hactenus fallacibus tuis promiſſis credidi, & mihi palpum obtrudi paſſus ſum: vertam ſtylum; impoſturas tuas tibi remetiar. Poſt hanc admonitionem, alteram ne exſpecta; juratus hæc ſcribo, talem me præbebo patrem, qualem te geris filium. Ego agrum iſtum vepribus horrentem, hoc ignavum & inutile terræ pondus, nihil præter Zizania ferentis, fodiam, refodiam, occabo, arabo, paſtinabo, ſarriam; pigrum ſolum ſtimulis & ligonibus verſabo, donec aliquem fructum vel in opificio reddas. Intelligis allegoriam? Duritiem tuam, velut contumacem glebam frangam, ſegnitiem exſtimulabo, evocabo meliora propoſita, invertam tibi caput, & occaſiones omnes amputabo, meâ patientia abutendi, tua ſegnitie repetitas admonitiones, & minas eludendi.

* *
*

XXII.

XXII.

LAURENTIO COCHLIDIO

EXCITATORIA languidioris indolis.

CONtra aliorum adoleſcentum morem monendus es mihi de vitio, ab hac maximè ætate abhorrente. Indolem bonam in herba ſuffocas, & ſpiritus ingenuos tetricitatis nube opprimis; rarò frontem explicas, tanquam tertius è cælo Cato cecideris, & in ſupercilio Romanam Curiam geras. An neſcis illud Paulinum, *gaudendum cum gaudentibus?* aut illud Horatianum litteris tuis notius, *dulce eſt deſipere in loco?* Nihil ſapit, qui nimium ſapit; ſapere oportet ad ſobrietatem: non placet mihi juvenilis indoles, quæ umbras ſequitur, & tenebris ac ſolitudine paſcitur, moroſioris & difficilioris naturæ es, & ante annos barbam philoſophicam videris præferre. Qui tecum agunt familiariùs, miſanthropo te comparant, arborem quærenti, ex quâ ſe ſuſpendat; nuntium hilaritati etiam honeſtæ remiſiſti; inter æqualium jocos ac feſtivos ſales ſedes inſtar ſtatuæ; bubonem inter philomelas agis; in geniali menſa, in colloquio, ad recreationem animi inſtituto, ſilen-

ſilentio prodis, non prudentiam, ſed infantiam tuam. Saulus olim jam regio Hebræorum diademate dignus, cùm in globum cantantium Muſicorum incidiſſet, putabat humanitatis eſſe, cantantibus ſe adjungere, & vocem in illo choro excitare. Tu, credo, rugâſſes frontem & te clàm ſubduxiſſes. Serviendum eſt ſcenæ & tempori; noli ſomniantium ſpecies de die in capite circumferre; odioſa eſt hæc vivendi ratio, & ad Trophonij antrum amandanda. Liberalior indoles liberali converſatione & hominum conſortio delectatur. Ad quid tibi ſervient oculi, ſi Tireſias incedis? ad quid aures, ſi non vis accipere & reddere voces? Exemplum in pullis equorum habes: perſultant prata, natatu tranſmittunt amnes, exercitijs ſanguinem vegetiorem reddunt: conclave, quod non permeat liberior aura, ſitum & putredinem ducit; aqua ſtagnans & immota turbulenta efficitur, ranas & bufones nutrit; arbor non ventilata in ipſa radice tabeſcit. Indoles juvenilis, niſi æqualium ſtudijs ſe accommodat, vitium intus alit; vultus in adoleſcente tetricus indicium eſt animi non bene ſibi conſcij; non fallit hæc occultarum ſordium conjectura: quare ſi probi & ingenui adoleſcentis vis famam tueri, cave

hanc

hanc odioſam vitæ rationem; non enim is es, qui poſſit de ſe gloriari, nunquam ſe minùs ſolum eſſe, quàm cùm ſolus eſt. Veteri verbo, ſtulto loquitur, qui ſibi loquitur; plerumque, quibus natura tectior, etiam pejor eſt: homo, quod Philoſophi dicunt, animal eſt ſociabile; tanto minor homo es, quanto ab humana ſocietate inficetiùs recedis: ad quid tibi lingua, niſi per eam ſenſa tua depromas? talpis humi defoſſis licet Sole carere, tibi luce fruendum & aprico; cogitationes, quas animo verſas, molendino affuſæ, quid aliud, quàm furfurem, beſtiarum pabulum, reddunt? Inter tartareos Alaſtros quidam eſt, quem Beelzebub ſeu Deum Muſcarium appellant, quòd ejus idoli caput formam muſcæ referat: cave, ne hujus monſtri cultorem te ipſum efficias. Franciſcus certè Seraphicus alumnum quendam ſuum triſtioris indolis *FratremMuſcam* nuncupavit; ne idem tibi contingat, hunc veternum & languorem excute. Hoc nomine olim Cæſar ille infamis fuit, cujus unicum negotium erat, in ſecretum ſe abdere, muſcas captare & configere: quid agis tu aliud, quàm muſcas venari, quando ſolus & ab aliorum conſortio remotus tecum agis, & caput tuum non mellificarum vo-

lucrum, hoc eſt, meliorum cogitationum alveare efficis, ſed muſcarum nidum, hoc eſt, futilium & inanium imaginationum receptaculum, melioribus ſenſis aditum occludentium, & ſanioris mentis operationes præpedientium. Atque hoc eſt operari ſtultitiæ, non illi, de qua Venuſinus Poëta: *Miſce conſiliis ſtultitiam brevem*; quænam hæc eſt ſtultitia? ſcire, loco & tempore uti; ſcire, laxare & adducere habenas. Crede mihi, æqualium candidæ mentes & ſimplices ſincerum ſunt ſpeculum, quod tuos tibi nævos repræſentat, & oſtendit te tibi: cæcus es; te ipſum ignoras; veritatem dudum didiciſſes, & te ipſum agnoviſſes, niſi, ſolitarios illos ſpiritus ſecutus, te ipſum tibi ducem elegiſſes; nemo citiùs errat, quàm qui hoc Mercurio utitur. Nôſti dictum Philoſophi: citharizando fimus citharædi, non citharas aſpiciendo, & fides numerando. Salomonis præclara inſtructio extat, tempus in varia negotia diſtribuentis; quot enim variæ conditiones ſunt locorum & temporum, tot ſunt prudentiæ regulæ ac normæ ad vitam rectè agendam: memineris tamen, quod ſuprà ex Horatio dixi, conſilijs, id eſt ſapientum occupationibu, smiſcendam eſſe ſtultitiam brevem. Vocat ſtultitiam

titiam remiſſionem à contentione ſeveriorum curarum ; hinc viri quoque graviores cum Lælio conchas in littore legerunt: non carent reprehenſione, qui longam ſtultitiam brevibus conſilijs, hoc eſt, cadum nugarum ſextario ſapientiæ miſcent. Utrinque extremum declinandum ; vel nimiùm littus iniquum premendo , vel temerariè in altum provehendo. Virtus in medio : nequaquam conſueſcere te cupio illis, qui dies bonos malis nugis conſumunt, vel potiùs, ut Comicus dixit , comburunt ; quid ex his buſtis , niſi luctum expectes ? te volo ſapere , ſed ad ſobrietatem , quod ex Apoſtolo adduxi. Nihil ſapit, qui nimiùm ſapit. Equi generoſitas ex alacritate hinnitûs colligitur : juvenilis indolis præſtantia ſe prodit per lætam , affabilem & comem converſationem ; *Væ ſoli*, ait Salomon, *cùm ceciderit, à quo ſublevabitur?* cùm erraveris, à quo corrigêris? Claudo epiſtolam , & ex ætatis tuæ aurora, ſi clara ſit, tibi promitto ſerenum Veſperum, hoc eſt ſecuturam ætatem negotijs quibuſque , etiam arduis, parem. Utere tempore , & illud tibi applica: *Sera nimis vita eſt craſtina , vive hodie*: eſt enim vivere, jucundè vitam agere ; non acerbè, non mœſtè , & tanquam pœni-

teret ſpiritum ducere. Relinquamus hoc tædium illis, quibus inviſa eſt terra, & deſperatum Cœlum. Tibi jucundiora in ſpe verſantur.

XXIII.

CRISPINO PAVIO Adoleſcenti Nobili

Elegantiâ formæ ſuperbienti.

MI Criſpine, quemadmodum ego tibi de genere nobili, & progreſſu in litteris gratulor, ſic moleſtè fero, quòd audiam, altiores æquô Spiritus te gerere, & quandam elationem animi præferre, ob formam corporis, quam à benigniore natura nactus es bonam, & mortalium oculis gratam: ajunt autem, te tuâ ipſius deluſum imagine, non facie modò, ſed etiam philautiâ Narciſſum referre, laudémque captare. Unde hæc hominum de te judicia? frequentiùs diceris aſſiſtere ſpeculo, curioſiùs comere capillos, ſtudioſiùs componere veſtes, fractior eſſe in geſtibus, uno, (quod olim in Pompejo reprehenſum) digitulo ſcalpere capillos, ſtrophio-

lo

lo, velut flabello, tibi æſtuanti ventulum facere, aſpernari æquales, velle videre & videri, & mollioribus quibuſdam elegantijs adverſùs alterum ſexum uti. Quæ ſi vera ſunt (nam hominum ſæpe fallunt judicia, munditiem appellantium ſuperbiam, concinnitatem geſtuum & actionum, interpretantium affectatum placendi ſtudium) haud credo feres ægrè, ſi pro noſtra neceſſitudine te amicè admoneam, ne eximia animi corporiſque tui decora hac vanitate corrumpas. Scribo hanc epiſtolam, & in ea ſpeculum tibi exhibeo, in quo videas, quid adoleſcentem liberalis indolis deceat, dedeceátque; quatenus prodire liceat in commendatione formæ, quanti æſtimare pulchritudinem corporis, quam Tullius ait, in apta membrorum proportione & coloris ſuavitate conſiſtere. Inprimis haud equidem nego, figuram iſtam & ſpeciem externam in muneribus cœli numerandam, nam juxta Poëtam,

Gratior eſt pulchro veniens in corpore virtus.

Eſt enim venuſtum corpus digna ſedes pulchræ animæ; nobili hoſpiti convenit nobile domicilium; in corpuſculo deformi incommodè habitat virtus; in malè compacta na-

vi parùm poteſt præſtantia gubernatoris; in domo quomodo conſtituta ſint penetralia, è veſtibulo agnoſcas: hoc tamen curandum, ne decipiat primi facies liminis, quod in templis Ægyptiorum Clemens Alexandrinus reprehendit, *lib. 3. pædagog. c. 2.* Nam parietes, inquit, lapidibus artificiosè depictis reſplendent, ædes auro, & argento, & electro collucent, adyta intextis auro obumbrantur peplis, ſed ſi penetralia templi ſubieris, & imaginem, quæ templum habitat, quæſieris, non invenietur intus Deus, qui quærebatur, ſed felis, vel crocodilus, vel ſerpens indigena, vel aliqua hujuſmodi bellua, quæ templo eſt indigna, ſed antro & horridæ ſpeluncæ magis convenit. D. Gregorius Magnus cùm Romæ videret venuſta ſpecie pueros, & intellexiſſet paganos eſſe: prô dolor! inquiebat, quàm ſplendidas facies Princeps tenebrarum poſſidet! Et Diogenes, cùm audiret juvenem decorum indecóra fabulantem: non te pudet, dicebat, ex eburnea vagina plumbeum gladium eximere? Sit ergo hæc maxima cura formoſi hominis, ut externæ ſpeciei reſpondeat interna pulchritudo; quæ ſi deſit, quis non dixerit, ſepulchrum eſſe dealbatum, foris ſplendidum, intus vermibus & fætore reple-

repletum? certè quiſquis vanâ gloriâ corporis extollitur, ſatis oſtendit, ſimium aliquem aut felem in togula picta latere. Deinde quis prudens aucupatur laudem è re fluxa & caduca? ex bulla aquis inflata, & momento in aquas detumeſcente? ex vitro ſplendorem fragilem oſtentante? Verè Siracides c. 11. *Non laudes virum in ſpecie ſua, nec ſpernas hominem in viſu ſuo.*

Forma bonum fragile eſt, quantúmq; accedit ad annos,
Fit minor, & ſpatijs carpitur ipſa ſuis.
Non ſemper viola, nec ſemper lilia florent.
Et riget amiſsâ ſpina relicta roſâ.

Quæ ſpectatiſſimè florent, celerrimè marceſcunt; formam una febricula depaſcitur, & in pallorem vertit. *Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo*, ait Salomon Prov. 31. fallax, quia mendax & fugax; exigui donum breve temporis. Seneca in Hippolyto:

Et fulgor teneris qui radiat genis,
Momento rapitur, nulláque non dies
Formoſi ſpolium corporis abſtulit.

Monuit jam olim tui ſimilem Narciſſum non rudis Paſtor:

O formoſe puer, nimiùm ne crede colori,
Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Quem dies vidit veniens valentem,
Hunc dies vidit veniens jacentem.

Cadet flava iſta cæſaries; roſeas genas corrumpet unicus æſtuantis pectoris calor; ſerenā frontem arabunt rugæ, lucida frontis ſidera mœſta teget nubes, læve dentium ebur obducet rubigo, cervicem & agiles humeros incurvabit gravior ætas, hoc ver adoleſcentiæ migrabit in triſtem aliquando hiemem. Neque dicas: hæc ſeris reſervantur canis, interea fruar, dum eſt formoſiſſimus annus. Ah deciperis, mi *Criſpine*, floſculus es, & quidem ex illis unus, quos *hemerocalles* vocamus, cum die oriuntur, cum die occidunt; his hoſpitibus non concedit longiorem moram Chloris; *manè florent, & tranſeunt; quaſi flos egrediuntur, & fugiunt velut umbra.* Job. 14. quid fugacius umbra? tua quoq; tam amœna modò facies, ſubibit umbram, forſan citiùs, quàm tu putaveris. Adde, quòd hæc venuſti corporis cura magìs ad feminas, quàm viros pertineat; viris à *virtute* nomen inditum, hanc ambi, hanc prenſa, huic tua ſtudia impende; hæc tibi conciliabit decus, hæc te Divûm, hominúmq; oculis commendabit. Quid quòd elegantiorem formam ſæpe comitantur vitia; multis exitio fuit, nimiùm placuiſſe.

Faſtus

Faſtus ineſt pulchris, ſequitúrq; ſuperbia formam.

Abſalonis adversùs parentem conjuratio ab ambitione cœpit; comptiores capilli laqueus fuerunt, in quo penderet. Et Paris ille Trojanus, priùs fax fuit in oculis Helenæ, poſtea incendium patriæ, ſcilicet

Lis eſt cum forma magna pudicitiæ.

O quàm multi caſtiores vixiſſent, ſi minùs formoſi fuiſſent! Sodomæa poma dixeris venuſtam faciem; illicium ſæpius eſt etiam ad ſcelus: quidam eam prædonem pudoris vocavit; hunc proditorem domeſticum tanti tu æſtimas, ut eo glorieris? Et quale hoc bonum, quod etiam peſſimis commune eſt? Doceat Chriſtianos veram laudem ſectari Joſephus Ægyptius, qui cùm eſſet adoleſcens *pulchra facie, & decorus aſpectu*, pretium formæ caſtimoniæ ſplendore excandefecit; pro trophæo pudicitiæ, pallium in manu lenæ ſuſpendit; ad ſummos ipſum honores non rara forma, ſed rara virtus evexit. Quid his exuviis, hoſti non tam detractis, quàm relictis, glorioſius, quid magnificentius? Illa modeſtæ, & ad mentionem flagitij erubeſcentis frontis purpura, quem non muricem & oſtrum Regum antecellit? Et

amiculum illud, palmariâ fugâ in palma laſciva deſtitutum, & pro ſpolio abjectum, qua non prædâ nobilius fuit? Joſephus ſine pallio clarior, quàm ullus in prætexta triumphator: ornamentum fuit, hoc ornatu caruiſſe; ſic demum fuit *aſpectu decorus*, quia nullum in aſpectu decus quæſivit, nullum illicium in forma; placere noluit oculis, quibus caſta non placent: tam dignus admiratione virtutis, quàm non appetens laudis extra virtutem poſitæ. Atque hæc eſt vera venuſtas, hæc gratia in corpore refulgens, hæc claritas & amabilitas *continentiæ* animæ, quam ſibi ingenuus adoleſcens comparare debeat, quâ gloriari poſſit. Hanc tu formam dilige, huic ſtude, & illam mollitiem ſe comendi & circumſpiciendi, feminis relinque. Sic viriliùs placebis, & pulchritudinis elogium ſine æmulo occupabis.

Vale, & virtutem ama.

XXIV.

CONRADO LONGINO STATUARIO

Valere, & ſua ſorte contentum eſſe.

VEteri Græcorum formulâ duco initium hujus epiſtolæ à votis rerum, quas tibi maximè evenire cupio; precor ſalutem corporis, & æquitatem animi: quarum prior ſi deſit, cum valetudine res jacebunt domeſticæ; ſi poſterior, vitam ſemper duces inquietam & anxiam. Nuper cùm mecum eſſes, & familiare colloquium incideret de varijs hominum ſtatibus ac conditionibus, adverti, te quodam faſtidio teneri artis tuæ ſtatuariæ, & optare, ut à puero alicui alteri artificio te applicâſſes. Laudâſti illos, qui ſpretis mechanicis opificijs à parentibus ad ſcholas non modò miſſi, ſed in ijs educati, peracto ſtudiorum curriculo, Liberalium Artium Magiſtri evaſerunt; eſſe enim hoc vitæ Inſtitutum ingenuum, jucundum, lucroſum: potuiſſe te vel Medici vel Juriſconſulti ſcientiâ imbui, & honores cum nummis amplos obtinere; potuiſſe Theologica facultate excellere, & inter Eccleſiaſticos ad pin-

pingue Sacerdotium promoveri, annulum in digitis, torquem in pectore geſtare: nunc tibi negotium eſſe cum ſcalpro & malleo, duróque labore; quotidianum victum comparandum riguo vultûs ſudore, & calloſis manuum ſulcis; confictandum cum mediocri fortuna, & perpetuâ cum curâ de alendis uxore & liberis; videri ſortes mortalium non æquali lance diſtribui, dum alij penè otioſi abunde habent, unde vivant; alij, velut in molendino circumacti, labore improbo vix extundant, unde famem propellant: & plura alia, quæ meminiſſe potes. Parciùs hæc, bone vir, de Divina providentia, quæ dirigit & diſponit omnia ſuaviter; crediderim, hanc querimoniam in ore naſci, nec altiùs pectus pervadere; ſin ſecus, Pauli Apoſtoli minas oppono, qui 9. Rom. v. 20. intonat: *O homo, tu quis es, qui reſpondeas DEO? nunquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? an non puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter eſt illi cura de omnibus?* Sap. 6. v. 8. an non ipſe tu ex eodem ligno

opi-

opilionem fingis & Regem pro arbitrio tuo? an non parva quandoque icuncula majorem refert ab arte laudem, quàm ingens coloſſus? circumſonent alios honorum plauſus, nummorum tinnitus, famulantium ſtrepitus; *Auream* quiſquis mediocritatem diligit, tutus caret obſoleti ſordibus tecti, caret invidendâ ſobrius aulâ. Nam quænam ex his plauſibus felicitas, ſi obmurmuret conſcientia? ſi palleat aurum malis artibus acquiſitum? ſi gemat in arca pecunia, innocentibus adempta? ſi periclitetur ſalus animæ, pro temporaneo quæſtu expoſitæ? ſi ambitione, avaritiâ, libidine ferveat pectus, & ſuos intus tortores patiatur? Non præferuntur tibi faſces; at comitatur criminis expers vita: non onerant aggeſta fercula menſam; at ſapit cibus, qui frugali apponitur patinâ: non elaborant tibi famem & ſitim aves & vina peregrina; jucundiùs te paſcit deſiderium naturæ: non abundas opibus; ſed nec eges, ſi nôſti moderari cupiditatibus, quibus tam deeſt, quòd habent, quàm quod non habent: beatus es, ſi fortuna tibi tua ſufficit; non enim invidendus eſt, qui multa poſſidet, ſed qui poſſeſſis rectè utitur. O quot tormenta patiuntur illi, quos vulgus feli-

felices exiſtimat? quoties crudum, ut eos Poëta ſugillat, pavonem ad balnea portant? quoties cum morbis & medicis rixantur? ſemper accuſant, quod ipſi peccant, nunquam emendant: quoties dolent, ſe dotis gratiâ ſuperbas pro uxoribus dominas duxiſſe, imò ab ipſis ductos eſſe; tibi frugalis conjunx eſt, induſtria materfamilias, parens liberorum, quos & forma corporis, & bonitas indolis honeſtat. Quid ergo queteris contra illum, in cujus manibus ſortes tuæ? pſal. 30. quid ejus providentiam in dubium vocas, quæ juſtâ omnia trutinâ librat, & in *pondere* ac *menſura* diſtribuit? Quid tibi cum aliena felicitate negotij, ſi mentem oculóſque in Conditorem tuum reflectis, qui omnes capitis tui capillos numeratos habet? quàm multi nunc plebeiæ conditionis homines æterna beatitudine potiuntur, qui, ſi lautiore fortuna gaviſi fuiſſent, in ſempiternum exitium abijſſent. Verùm hæc eſt mortalium vecordia, & ſtolida perſuaſio, alienis ſemper inhiare bonis, ſua non nôſſe. Quis eſt ille, (inquit vir quidam ſapiens) qui, cùm dederit impatientiæ manus, ſtatum ſuum mutare non optet? quis eſt enim tam compoſitæ felicitatis, ut non aliqua

aliqua ex parte cum ſtatûs ſui qualitate rixetur?

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus:
O fortunati mercatores, gravis armis
Miles ait, multo jam fractus membra labore;
Contrà mercator, navim jactantibus auſtris,
Militia eſt potior. Boëtius in Conſol. philoſ. c. 2. proſâ 4.

Agricolam laudat juris, legúmque peritus,
Ille datis vadibus, qui jure extractus in urbem eſt,
Solos felices viventes clamat in urbe. Horat. lib. 1. ſat. 1.

Tu ſi me audis, audies & Apoſtolum dicentem: *Unuſquiſque in vocatione, quâ vocatus eſt, in ea permaneat,* 1. Corinth. 7. ſtatu ſuo contentus vivat. Hoc tu age, & non invidebis alijs ſuam ſortem. Finio has litteras, ſi priùs pro clauſula appoſuero fabellam ex Æſopo, notæ ſapientiæ fabulatore. Aſellus, cùm onere portando in dies gravaretur, ut propè ſuccumberet; inſuper inediâ confectus, verberibus urgeretur, equum fortè in pinguibus paſcuis palabundum conſpicatus, beatam ejus ſortem prædicavit, miſerámque & intolerabilem ſervitutem ſuam accuſans, dixit:

Heu

Heu melior quantò ſors tua ſorte meâ eſt!

Sed dum non multò pòſt equiſonem accurrentem vidit, qui equi ora lupatis conſtringeret, eóque conſcenſo, calcaribus ad ſanguinem ſtimularet, in prælium ad vulnera, ad mortem duceret, ſorte ſua contentus, magnas Dijs gratias agebat, quòd ſe non equum, ſed aſinum feciſſent. Hæc fabula de te narratur, qui ſortem alienam tuâ feliciorem ducis, & ad ſublimiorem ſtatum inutilia deſideria extendis; cupis aſcendere, ut altiùs ruas; ditiori Fortunæ vota facis, ut quietem perdas; malleum cum calamo, fabrilem truncum cum libris permutâſſe velles. Deciperis: ſummum beneficium tibi præſtitit DEUS, quòd te in altiore ſtatu non collocârit; quòd eam vivendi rationem tibi tribuerit, in qua tam procul à negotijs & vitijs, quàm procul ab otio vivis, ſecuréque potes dicere cum Horat. l. 2. Od. 17.

Non ebur, neque aureum
Mea renidet in domo lacunar &c.
At fides, & ingeni
Benigna vena eſt - -
- - *Nihil ſuprà*
Deos laceſſo - -

nec potentem amicum largiora flagito; ſatis bea-

beatus manuum labore, & victu, qui naturæ ſufficit. Vivitur parvo bene, cui paternum ſplendet in menſa ſalinum, nec leves ſomnos timor aut cupido ſordidus aufert. Agnoverunt hoc ipſi ethnici, meliore luce non illuſtrati; nos doceat ethica Chriſtiana, facis Evangelicæ ſplendore irradiata. Vale, & tua ſorte contentus vive.

XXV.

HIERONYMO SOLANO, VIRO PATRITIO

De bona Liberorum educatione.

IN memoria recenti eſt, vir conſultiſſime, quæ non ita pridem in horto tuo ſuburbano inter nos collocutio fuerit de querelis complurium, educationem noſtræ pueritiæ accuſantium: negligi diſciplinam, curam, inſtitutionem; plus ſolicitudinis geri de fundis & agris, de gregibus & armentis, quàm de liberis; malos mores à teneris unguiculis imbibi, vitia inoleſcere, libertatem & licentiam nimiam permitti juventuti; ídque fieri partim oſcitantiâ parentum, partim ig-

naviâ illorum, quibus cura domeſtica inſtruendi pueros incumbit; partim pravis exemplis, quæ in aures & oculos adoleſcentum incurrunt. Intellexit hoc vetus Poëta: Juvenal. ſat. 14.

Nil dictu fœdum, visúque hæc limina tangat,
Intra quæ puer eſt.

Et ibidem:

Maxima debetur puero reverentia; ſi quid
Turpe paras, ne tu pueri cõtempſeris annos.

Vix enim credi poteſt, quàm citò pueri trahant in fomite flammam; quàm facilè ſeducantur converſatione familiari; contagia nunquam citiùs ſerpunt, quàm ex vicino. Juxta adagium: qui juxta claudum habitat, ſubclaudicare diſcet. Ovidius canit:

Dum ſpectant oculi læſos, læduntur & ipſi,
Multáque corporibus tranſitione nocent;

Plurima verò per animos contagia ſerpunt. Platonis familiares ejus gibbum imitabantur; Ariſtotelis balbutiem amici exprimebant; Alexandri Macedonum Regis cervicem inflexam, & vocis in dicendo aſperitatem effingebant, qui conſuetudine ejus utebantur; maximè verò *corrumpunt mores bonos colloquia prava*, plurimúmque habet momenti ad depravanda puerorum ingenia ora-

oratio. Dolendum ſanè, in ipſis parentum oculis impunè turpia & indecora committi. Ingemuit huic corruptelæ jam olim Jobus, qui cap. 21. v. 11. deſcribens neglectum educationis: *Egrediuntur*, inquit, *parvuli eorum, & infantes eorum exultant luſibus.* Et quibus? quorum mentio fit lib. Reg. 4. c. 2. *Aſcendit Eliſeus in Bethel: cúmque aſcenderet per viam, pueri parvi egreſſi ſunt de civitate, & illudebant ei, dicentes: Aſcende calve, aſcende calve.* Spectabant & audiebant parentes, & hoc ludicro delectabantur. Quid inde? *egreſſi ſunt duo urſi de ſaltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros.* Hæc pœna peccati etiam in parentes incumbit. Et notandum, quòd Jobus vocat *infantes*; qui depravati educantium ſocordiâ, antequam rectè fari ſcirent, jam malè agere didicerunt. Tanto nocentior eſt hæc filiorum ac parentum diſſolutio, quanto latiùs in ipſam reipublicæ perniciem diffunditur. Videmus in civitatibus bene inſtitutis fieri, ubi juventuti probi & induſtrij moderatores præſunt, ubi litterarum pariter & bonorum morum ſtudia vigent, ibi laudabiles magiſtratus & cives exiſtere; è contrario, ubi ſcholarum

neglectus eſt, ibidem Curiam quoque & Templum jacere. Hinc illa Caroli V. ſapientiſſimi & fortiſſimi Cæſaris ad tria PPP. attentio; ſcilicet *Prætorem*, *Parochum*, *Præceptorem*; qui ſi rectè officio ſuo funguntur, ſalutem reipublicæ afferunt, eámque in tranquillitate & felicitate conſervant. Agnovit hoc Tullius, qui lib. 2. de offic. docet, nullum munus reipubl. afferri majus, meliúsve poſſe, quàm ſi doceamus & erudiamus juventutem, ijs præſertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapſa eſt, ut omnibus opibus refrænanda, & coërcenda ſit. Hac inſtitutione imprimis opus habet prima ætas, quæ maturè è gremio nutricularum avellenda, & à mollitie abducenda; deinde paulatim durioribus aſſueſcenda, & pædagogis ſeu præceptoribus domeſticis committenda. Quod Maro 4. Georg. de vitulis & bobus obſervandum præcipit, id longè magis in cultura filiorum curandum.

Tu quos ad ſtudium, atque uſum formabis agreſtem,
Jam vitulos hortare, viámque inſiſte domandi,
Dum faciles animi juvenum, dum mobilis ætas.

Aper-

Apertiùs alius canit :

Dum tener eſt gnatus, generoſos inſtrue mores.

Plurimùm profectò refert, quid in pueritia, tanquam raſâ tabulâ inſcribatur ; nam hîc vel maximè verum eſt illud vulgatum : *Littera ſcripta manet.* Difficulter eraditur, quod rudes anni perbiberunt : lanarum conchylia quis in priſtinum candorem revocet ? Recens teſta diu & ſaporem retinet & odorem, quô primùm eſt imbuta. Græca hiſtoria memorat, Alexandrum Macedonem, orbis domitorem, in moribus & inceſſu Leonidis Pædagogi ſui non potuiſſe carere vitijs, quibus adhuc parvulùs fuit infectus. Ut gypſum, aut argilla, dum eſt ûda, in quamvis imaginem facilè ſequitur fingentis manum, ita rudes animi ad omnem diſciplinam ſunt idonei ; æquè in virtutem ac vitium cerei ; ut ſigillum, figuram accipiunt, qualem impreſſeris. Malè parentibus, qui in tenellis arbuſculis non attendunt ad radicem, ne à vermibus arrodatur. Et quia optima quæque ingenia corrumpuntur inſcitiâ inſtituentium, ſolerter tibi providendum eſt de pædagogo, homine maturo, prudenti, ſobrio, vitæ probatæ, nec indocto, cui filios

 tuos,

tuos, adoleſcentulos lectiſſimos, committas, & quaſi de manu in manum tradas; eſt enim hæc ætas infirma viribus, invalida ingenio, immatura conſilio; rationis inopiâ, & naturæ imbecillitate facilè errare & labi poteſt; inſtructione eſt opus & diſciplinâ. S. Hieronymus epiſt. 43. contra Jovinianum ait: Niſi vitia adoleſcentis & pueri prudentia pædagogi rexerit, omnis hujus ætatis conatus & impetus ad laſciviam properat. Verum eſt; non adeò prompta ſuppetit horum hominum copia, quibus hunc theſaurum concredas, & hunc fundum colendum eloces; ſed nihil non obtinet pecunia, præſertim ſi ad nummos etiam ſpes honorum accedat; ſi Moderator intelligat, labores ſuos remuneratum iri; ſi cognoſcat, diſcipulos ſic jam educatos, ut futuri ſint dicto audientes, Præceptoris obſervantes, inſtitutionis capaces; ſi auctoritas docentis ſalva & incolumis conſervetur; ſi querelæ mulierculatum non audiantur; eorum officium non interturbetur; ſi poteſtas concedatur, pueros pro meritis tractandi; in immorigeros advertendi; ſi munuſcula ſuppeditentur, ad docentem pariter, diſcentéſque excitandos. Neque pœniteat te impenſarum; quidquid hic ſementis

tis jeceris, cum fœnore redibit; conſtituuntur equis domitores, qui eos doceant tollere greſſus, in gyrum flecti, ludis equeſtribus aſſuefieri; quantò æquiùs formatores pueritiæ invitantur præmijs, & muneribus inducuntur ad hanc ſpartam, moleſtijs plenam, alacriter tuendam. Veriſſimè Plato pronuntiavit, nullum ex reliquis animalibus atrocius fieri homine atque efferatius, niſi tempeſtivis diſciplinæ auxilijs mitigetur. Equus, inquit Eccleſiaſticus, *indomitus evadit durus, & filius remiſſus evadet præceps*, cap. 30. Equus dum tener eſt, calcaribus ſubigendus, lupatis infrænandus, virga coërcendus; ſecus, intractabilis evadet. Puer ſuæ naturæ relictus, evadet petulans, per prona vitiorum corpore & animo ruet, maléque peribit. Cùm igitur pædagogi ſit, habenas moderari pueritiæ, eámque litteris, & morum honeſtate imbuere, feri tibi nepotes gratias habebunt, quòd progeniem tuam non neglexeris; filios Ductori & Inſtructori prudenti atque integro in diſciplinam tradideris, qui arbuſculas teneras diligenter coleret, & in noxiarum cupiditatum ramos pullulare non ſineret; optima quæque rudibus tabellis inſcriberet, recentia vaſa bono

odore imbueret, ceræque ductili virtutis imaginem imprimeret; ab inertia ad laborem, ab inſcitia ad eruditionem, à naturæ pravitate ad probitatem, jam primis ab annis, non minùs ſuaviter quàm efficaciter adduceret. Hæc ego fortè pluribus tibi, viro ſapienti, ingero: ſed quia magna flumina parvos quoque rivos recipiunt, nolui deeſſe tuis deſideriis, magìs officio noſtræ amicitiæ, quàm ſenſui meo obſecutus. Vale vir clariſſime, & liberos tuos, quod facis, ad tuæ non magìs familiæ decus, quàm Reipublicæ ornamentum educa.

XXVI.

GEORGIO RIVIO,

Adoleſcentum Nobilium Præfecto, ac Præceptori domeſtico Salutem.

QUò majoris eſt momenti, teneriorem ætatem ad litterarum & virtutis culturam informare; hòc amplioris eſt meriti, hanc curam in ſe ſuſcipere, & Nobiles ex ſtirpe adoleſcentes, nobiliores efficere ex præſtantia morum. Perhoneſtam nactus es conditionem; quanquam, ut fatear, laborioſam, ſed

ſed Reipublicæ fructuoſam. Faciliorem reddet inſtitutionem, diſcipulorum tum præclara indoles, tum diſcendi cupiditas; tum gratus non minùs filiorum, quàm parentum animus, qui operam impenſam penſabit ſalarij liberalitate. Tu modò videas, ne quid tuarum partium ac officij deſiderari patiaris; non deerunt tibi Mecænates, ſi tibi ipſi non deſis, nec obſtes. Atque ut ſcias, quid requiratur ad Provinciam hanc rectè adminiſtrandam, explicabo tibi hac epiſtola, quæ priùs ipſe facias, quàm alios doceas facienda, ne *cæcus cæcum ducat*, *& ambo in foveam cadant.* Primum igitur, quod tibi conſiderandum, eſt muneris, ad quod vocatus es, æſtimatio & dignitas, quod tanti fecit ipſe Magiſter Orbis, ut juſſerit ad ſe venire parvulos, eóſque complexus, ijs manus imponeret. Ex recta namque pueritiæ inſtitutione prodeunt boni patresfamilias, Conſiliarij Principum, Rectores urbium, Provinciarum Præſides & Primates, Concionatores, Animarum Curatores, Viri Religioſi & Eccleſiaſtici. Vivet memoria tua apud poſteros, & eorum mentibus grata recordatio ſemper obverſabitur; beneficia benefactis rependentur. Alexander certè Magnus tanti fecit Præceptorem

rem ſuum Ariſtotelem, ut diceret, plus ei ſe debere, quàm parenti Philippo; ab hoc enim ſe habere, ut eſſet; ab illo verò, ut præclarè inſtitutus eſſet. Quid ad laudem majus? Nec deſunt plurima illorum exempla, qui ſuos Inſtitutores ampliſſimis muneribus affecerunt. Alterum, quod perpendas, velim, eſt ad munus Pædagogi ritè exequendum requiſita ſcientia & virtus: ſcientia quidem, ut ipſe non ignores, quod alios cupis docere; virtus autem, ut ſis integer & incorruptus, qui probitatē & integritatem in alios vis transfundere. Turpe eſt, ſi culpa redarguit ipſum magiſtrum, neque per canalem ſulphure infectum poteſt aqua pura manare. Nutricum quantò purius & incorruptius lac fuerit, tantò infantium, qui eo aluntur, valetudo magìs adjuvatur; quò præceptor eruditior & probior extiterit, hòc faciliorem clariorémque doctrinam miniſtrabit, & ad virtutem feliciùs informabit. Gravitatem humanitate temperabis, placidum ſimul & efficacem te præbebis; moroſus & auſterus vultus impedit profectum ingenuæ indolis, quæ magìs amore, quàm metu ducitur. Pædagogo imputatur vel improbitas vel inſcitia diſcipuli. Diogenes, noti nominis Philoſophus, puerum con-

conſpiciens indecorè ſe gerentem, pædagogum illius baculo percuſſit, dicens, *cur ſic inſtituis?* quò indicavit, primæ ætatis formatoribus potiſſimùm adſcribendum, ſi adoleſcentes evadant, aut bene morati, aut in vitium detorti. Jam multùm eſt ſitum in modo inſtruendi. Primò docendi adoleſcentes, quæ maximè ſcitu tum neceſſaria ſunt, tum utilia; inducendi,ut delectentur honeſtis, offendantur turpibus; in teneros animos,velut in vas oris anguſti,doctrina & ſapientia ſenſim inſtillanda; copioſior imber obruit, parcior rigat. Præcipuè verò pædagogus attendat, ne quo ſiniſtro exemplo offendat, quos erudit. Quod de patre dixit vetus Satyricus, id ſibi dictum putet:

Unde tibi frontem, libertatémq; parentis,
Sumis, ſi facias pejora?

Corrumpunt enim vitiorum exempla domeſtica:

Si damnoſa ſenem juvat alea,ludit & hæres
Bullatus, parvóq; eadē movet arma fritillo.

Apud Platonem educatus puer, & ad parentes poſtea reductus, cùm ſublata voce excandeſcentem conſpiceret patrem, dixiſſe fertur: *Hoc apud Platonem nunquam vidi.* Denique meminerit Moderator, varias ſibi perſo-

nas

nas eſſe ſubeundas: *Citharœdi* quidem, teſtudinem ſuam componentis, ejúſque chordas explorantis; quæ ſi laxiores ſunt, abſonum quid reddunt; ſi intentiores, diſrumpuntur. Sit amor, inquit D. Gregorius, ſed non emolliens; ſit rigor, ſed non exaſperans; ſit Zelus, ſed non immoderatè ſæviens; ſit pietas, ſed non plus, quàm expediat, parcens; non quælibet culpa pro crimine reputetur; ſæpe ſat eſt, terruiſſe; ſit umbra virgæ pro verbere; à reprehenſione abſit convitium & contumelia; exaſperant, non curant vulnus. *Pictoris* quoque vel ſtatuarij cura applicanda, ut imagines à DEO conditas, ſed rudes, & ornamentis vacuas, artifice penicillo vel ſcalpro perficiat, perpoliat, coloribus illuſtret. Artifices quidam, quos *minutarios* vocant, ſigilla parva, & icunculas conficiunt, quæ plus non raro laudis & admirationis concitant, quàm ſi ingentes coloſſos fabricâſſent. Ejuſmodi te opere occupatum cogita,

In tenui labor, at tenuis non gloria.

Rarum Ingenium apparet in eburneis pixidulis & myrothecijs, ad invidiam artis elaboratis, nec niſi primæ notæ balſamo implendis. Materiam & tu habes, in qua oſtendas artificium, teneras diſcipulorum mentes,

ebore

ebore candidiores: has tornes, exſculpas, exornes, & inter mirabilia operum ſuſpiciendas proponas, de quibus meritò dixeris: *Ingentes animos anguſto in pectore verſant:* Spiritus tamen ijs ſupra ætatem, & parvitas aliquando cuilibet magnitudini certatura. Tota commendatio operis tuæ manui debebitur, & *materiem ſuperabit opus.* Hortulanus imitandus, cujus eſt, nôſſe terram, quid in ea ſeminet; præceptoris eſt, indolem cujuſque & ingenium exploratum habere: non enim eadem omnibus adhibenda; quidam ſtimulis, alij frænis indigent. Atque ut arbuſculis, ut rectè creſcant, ſolent valli opponi; ſic pueri, ne in vitioſos ſurculos degenerent, frequentibus monitis & præceptis fulciendi. *Naucleri* præterea partes ſuſtinendæ, qui fluitantem tenerioris ætatulæ cymbam gubernet, ne naufragium in ipſo littore, unde ſolvendum, patiatur. Hæc ſi obſervaveris, non modò inſignem gratiam apud parentes, ſed etiam apud filios inibis; fructus reſpondebit operæ, & omnes pædagogi gnavi atque induſtrij numeros expleveris. Vale cum tuis, & per tuos vive, *Spartamque*, quam nactus es, ſtrenuè excole.

XXVII.

XXVII.

PARENS

Conſulit amicum, cui potiſſimùm ſtudio filium unicum applicare debeat; an Theologico, an Juridico, an Medicina.

INter primas curas, quas parentem de liberis ſuſcipere oportet, eſt deliberatio de ſtatu vitæ, quippe in quo velut cardine ſalus temporalis, æternáque vertitur. Jam tempus & ætas monet, ut *Adeodatum* meum altioribus diſciplinis imbuendum curem, jubeámque diſcere, quæ ſemper meminiſſe juvabit. In cujus partem deliberationis, quem potiore jure admittam, imò quem requiram, quàm te amicorum meorum præcipuum, & longa fide probatum? Virtus & ſapientia tua monſtrabunt tramitem, quà eundum. Propoſui non ſemel filio meo tria potiſſimùm ſtudiorum genera, ut ex ijs ſeligeret unum, quo maximè delectaretur: vellétne Juriſprudentiæ operam dare, & Bartoli ac Baldi ſcholam ſectari? an luberet Theologicæ ſe facultati addicere, & ex illa ſcientia epomidem geſtare? an Medicinæ ſtudium placeret, & Æſculapij ſe diſcipulum profiteri? perſpectum eſt mihi ado-

adoleſcentis ingenium, ſublimiorum etiam diſciplinarum capax. Is verò quid reſpondet? hoc unum, paratum ſe eſſe ad mea obſequia; à meo arbitrio ſe totum pendere; meum eſſe imperare; ipſius, juſſa capeſſere. Quid agam? ſi conſilium meum minùs ad votum ſuccedat, mihi imputabitur infelix exitus. Reperiuntur enim inter Juriſperitos, qui putant, ſe faventiore Minerva, Galeno operam daturos fuiſſe. Medicinæ ſtudioſi non pauci ſunt, qui mallent ſacratiores litteras tractâſſe. Rurſus inter Theologos ſunt, quibus grave eſt, cælibem vitam ducere, cuperent ſapientiùs elegiſſe, & Codicem potiùs Legum, quàm Precum ſibi aſſumpſiſſe. Sic eunt in contrarium vota & votorum ſucceſſus. Nec deſunt exempla liberorum, infelicitatem ſuam parentum ſiniſtro affectui ac voluntati adſcribentium. Difficile eſt contra torrentem niti, & naturæ inſtinctui repugnare. Error, ab initio commiſſus, in longum ducitur, & multa ſecum pericula trahit; ſicut qui ſemel deflectere cæpit à recta via, quò longiùs progreditur, hòc magis ac magis ad devia declinat; opus eſt duce, qui dirigat iter. In Sacris adagijs legimus: *Sapientia callidi eſt, intelligere viam ſuam, & imprudentia ſtultorum*

errans.

errans. Prov. 14. quia non cogitat, quid ſibi, ſuæque indoli, propenſioni, viribus congruat; ſed id amplectitur, quò rapit ambitio, levitas, avaritia, libido, cæteræque cupiditates improbæ. In hac ambage viarum, quem certiorem ducem, quàm te, antiqua fide cognitum ſequamur? quis in hoc mæandro certiùs expediat fluctuantes? Itaque tu mihi, filióque meo pro cynoſura eris, ad quam flectamus ratem; tu eris Phæbi Sacerdos, qui nobis oracula pandat. Hæc ſincerè; nihil do auribus, nihil palpo. Confido, non minore te candore & ex animi ſententia mihi reſponſurum, quàm ego te conſulo, & judicium tuum. Nec habes, quòd invidiam timeas; *Hæc inter nos*; alienum conſcium non faciemus. Vale virorum optime, & brevî hac me ſolicitudine libera.

XXVIII.

RESPONSIO ad epiſtolam ſuperiorem.

HIERONYMO GALBÆ

Salutem.

ACcepi epiſtolam tuam, Idibus Auguſti datam, in qua, neſcio cujus Apollinis ora-

oraculum à me requiris, tanquam ego ſim Deorum Interpres, & arcanorum internuntius; nempe Argus Tireſiam conſulit, & cui ſumma ſapientia eſt domi, eam aliunde acceſſit. Scribis, te in ardua deliberatione verſari, & ambiguum hærere, quod præcipuè ſtudiorum genus filio tuo *Adeodato*, Philoſophiæ curſum feliciter emenſo, amplectendum ſuadeas; an videatur facultati Juridicæ, an Medicæ, an Theologicæ applicandus? Trium harum diſciplinarum optionem tantò tibi difficiliorem accidere, quantò juvenis eſt omnium capacior, & ex æquo ad ſingulas propenſior: poſuiſſe te in utramque partem calculos, eóſque in urna miſcuiſſe nigros, candidos; pari ferè numero exijſſe: ad meum igitur arbitrium hanc controverſiam devolvi, meum judicium pro deciſione ſententiæ exquiri. Quid huic petitioni reponam? ſi vetus illud, *Non liquet*: vereor, ut parùm amicitiæ noſtræ ſatisfaciam: ſi, quod ſentio, pronuntiem, rurſus metuo, ne in cauſâ tam lubrica nihil ſatis firmum afferre queam. Malo tamen plus humanitati tuæ, quàm meæ tenuitati concedere, & pro eo, quod exiguum eſt, judicio ſenſum expromere, citra cujuſque præjudicium, & aliter ſentiendi li-

bertatem. Meum non eſt, quidquam in hac controverſia, aut deliberatione, determinare; ſatis erit, more Veterum Academicorum in utramque partem, prout epiſtolæ brevitas patitur, diſputare, & rationes adducere, quæ pro ſingulis iſtis diſciplinis, ad abſterrendum, vel alliciendum, facere poſſint. Exordiamur à medicinæ ſtudio. Ars medicandi tanti apud eruditam antiquitatem facta eſt, ut ejus inventionem ad Deos referrent; apud Ovidium Apollo canit:

Inventum Medicina meum eſt, Opiférque per orbem
Dicor, & herbarum ſubjecta potentia nobis.

Quid autem præſtantius, quid cognitione dignius, quàm nôſſe vires herbarum & effectus, in quibus natura mirabilia operatur? Quid adeo brutis etiam animalibus ad vitam conſervandam, & morbos ſanandos ſalubrius, quàm, naturæ ductu, herbarum ſibi delectu mederi? In herbis morborum omnium panacea & alexipharmacum reperitur. Inter encomia Salomonis, etiam ponitur ſcientia medicinalis. Sap. 7. v. 20. de ſe ipſo loquitur, quòd noverit, *naturas animalium, & iras beſtiarum, vim ventorum, differentias virgultorum, & virtutes radicum &c. Hinc diſputa-*

putabat ſuper lignis, à cedro, quæ eſt in Libano, uſque ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete. Scripſit is de morborum omnium curatione libros, qui poſtea à Rege Ezechia aboliti, quòd populus ab eis omnem valetudinis curationem crederet pendere, & proinde opem Divinam nihili pænè duceret. Æſculapius apud Poëtas Divinis honoribus affectus eſt ob felicitatem medendi; qui Hippolytum, equis diſtractum, ab ipſa morte ad vitam revocâſſe dicitur. Sed miſſis fabulis, quidnam illuſtrius in laudem Medicorum prædicari poteſt, quàm quod Siracides pronuntiat c. 38. *Diſciplina Medici exaltabit caput illius, & in conſpectu magnatorum collaudabitur.* Unde non immeritò quidam in illa ſcientia clariſſimus, *Ars*, inquit, *Medica & Divinitus accepta eſt, & Divinitus exercetur.* Idem Siracides c. 38. *Honora Medicum; propter neceſſitatem enim illum creavit Altiſſimus; à DEO eſt enim omnis medela, & à Rege accipiet donationem.* Ubi quatuor in commendationem Medicorum adducuntur. Primum eſt, quòd in eos, tanquam Conſervatores & Reparatores vitæ, meriti ſint honores conferendi. Alterum, quòd magna ſint illorum in Rempubl. merita; magna non modò utili-

tas, ſed etiam neceſſitas: ideóque pro ſingulari munere Divini Numinis complectendi Medici, & tanquam Cœlo dati in pretio habendi. Tertium, quòd abſque Medicis civitates & provinciæ eſſent commune morborum hoſpitium, & illætabile ſepulchrum. Quartum, quòd Reges & Principes, Medentium opem experti, ſint munifici in eos, quibus debent, quòd Spiritum trahant, & aurâ veſcantur. Unde notus verſiculus:

Dat Galenus opes, dat Juſtinianus honores.

Quid autem à mortalibus magìs quæritur & deſideratur, quàm ampli cenſus, quos etiam ſequuntur honores? Et quis parentum hanc fortunam non optet filio ſuo? Quid, quòd Medicorum dignitas etiam à Genijs cœleſtibus honoretur? dum Viator ille, & Dux Tobiæ Angelus, Ophthalmicum ſe præbuit, ideóque Hebræis *Medicina DEI* appellatur? Quòd ſi verò ſanitas corporis maximum ſemper vitæ hujus condimentum eſt habitum, & magnum DEI donum, de qua vetus Jambicus,

Quid ſanitate vita habet præſtantius?
Rectè valere, res eſt jucundiſſima.
O ſanitas, nobis bonum tu maximum es!
Monile nullum ſanitate gratius.

Hinc

Hinc commune illud votum: Vale, fac valeas, valere te cupio, ſalvum te volo, ſalutem tibi opto; & quæ ſunt aliæ hujus generis formulæ: & cùm ipſi Medici vocentur Recuperatores ſalutis, Cuſtodes vitæ, Tutores valetudinis, Depulſores morborum, animæ ſpirantis Protectores, quis non ſtudium Medicinæ maximi æſtimet, ſéque totum huic ſcientiæ comparandæ impendat? Graviter Siracides: *Melius eſt corpus validum, quàm cenſus immenſus*, c. 30. Et quoniam Juriſconſulti toti occupati ſunt in bonorum externorum conſervatione ac poſſeſſione, facilè apparet, medicandi artem præcellere, cùm finem habeat propoſitum longè præſtantiorem, & nobilius, ut cum Philoſophis loquar, *objectum*, ſeu materiam, circa quam verſentur. Quòd ſi in SS. litteris *Longævitas vitæ* inter præcipua Divinæ liberalitatis munera recenſetur, ſæpiúſque ſupremus ille vitæ, necíſque Dominus Promiſſionibus ſuis *longitudinem dierum* adijcit, quis non Medicos inter deos quoſdam terreſtres collocet, qui producunt annos, & plurimos mortales ex ipſis mortis faucibus eripiunt? Quem igitur non capiat tanta dignitas, & prę alijs diſciplinis in amorem Medicinę trahat? In oppoſi-

poſitum verò occurrunt, quę diſſuadere hoc ſtudium queant; quæque non ideò referam, quòd velim quidquam laudibus Medicorum detractum, ſed ut diſputationis cauſâ in medium adducam, quæ videntur plurium judicio aliquem abſterrere poſſe, quò minùs inter Galeni & Hippocratis diſcipulos nomen profiteatur. Inprimis vel ad mediocrem in Medicina eruditionem conſequendam ingens doctrinæ apparatus requiritur: nam ut vir doctiſſimus loquitur, Maſen. *de utili curioſ.* Medicinæ ſtudium eſt pelagus quoddam ſcientiarum & artium. Imprimis Medico eſt neceſſaria exacta Philoſophiæ cognitio (nihil dicam de Linguæ Græcæ peritia) quâ naturales rerum cauſas perveſtiget, cæli, ſiderúmque influxus intelligat, corporis & affectuum conſtitutionem exploratam habeat, & herbarum vires noverit. Deinde opus eſt Medico magnâ experientiâ, longus rerum uſus, & varij medicamentorum effectus; propterea Æſculapius, Medentium DEUS, pingitur cum cano barbitio, quô denotatur notitia, diuturno ſtudio & praxi comparata. Ad hæc, quanta ſolicitudine obſervandum eſt, ut medicina tempori, regioni, perſonæ, ætati accommodetur.

Tem-

Temporibus medicina valet: data tempore proſunt,
Et data non apto tempore vina nocent.

Nimirum:

Eripit interdum, modò dat medicina ſalutem.

Adde, quòd ex eventu fortuito ſæpiſſimè medicamentorum ſucceſſus pendeat, nec ſatìs ullâ humanâ induſtriâ deprehendi queat, quid in tanta morborum & pharmacorum varietate maximè conducat. Quàm multis, e. g. venæ ſectio mortem attulit, quæ alijs vitam dedit; quoties ſimplicia remedia plus profuerunt, quàm ſummo labore & pretio confecta ecligmata, trituræ, catapotia, & diverſi generis operoſæ potiones? Deinde periculoſam provinciam ſuſcipiunt Medici, nam quantò potior eſt vita honoribus quibuſvis & fortunis, tantò gravior eſt ejus jactura. Ex tenui filo pendent fata; unica Medici oſcitantia, aut cauſarum, ſtatúſve morbi ignoratio, illa abrumpit. Hinc illi non raró cum Ezechia gemitus & querelæ: *Ecce in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi,* migrabo ad plures, ſubibo ſepulchrum. Quàm deinde multis obtrectationibus expoſiti ſunt Medici, quoties mordacibus linguis vapu-

lant etiam innocentes? Si curatio non ſucceſſit, ſi de lectulo ægrotus non ſurrexit, ſi pharmaca non reſpondent, & impenſæ fruſtra ſunt factæ, quibus dicteriis ab amicis, liberis, orbis conjugibus flagellantur Medici, tanquam penes ipſos imperium eſſet mortis! Tale Sarcaſma jam olim jactatum:

Nuper erat Medicus, nunc eſt veſpillo Diaulus,
Quod veſpillo facit, fecerat & Medicus.

Quid, quòd dentem ac calamum in Medicos ſtrinxerunt etiam viri graves ac ſapientes; è quibus Plinius lib. 24. cap. 1. *Diſcunt Medici periculis noſtris & experimenta per mortes agunt; Medicóque tantùm, hominem occidiſſe, impune fuit.* & lib. 29. ſcribit: *Nulla ars eſt inconſtantior Medicinâ, nulláq; ſæpius mutatur.* Hinc Hadrianus Imp. moriens ſepulchro inſcribi juſſit:

Turba Medicorum perdidit Cæſarem.

Quid jam commemorem tædia ac faſtidia, quæ Medicis devoranda; quot curæ diurnæ, nocturnæque iis exhauriendæ: aſſiſtendum eſt ægrotantium lectulis, audiendi gemitus, querimoniæ excipiendæ, fœtores, aliæque moleſtiæ tolerandæ, de quibus Poëtarum quidam:

Adde,

Adde, quod eſt gravius, verſari ſemper oportet
Inter funeſtos, inter contagia morbi,
Solari afflictos, triſtéſque levare dolores.

Pro tot laboribus, vigilijs, periculis, quid non raró mercedis refert Medicus? dirarum & imprecationum abundè, nummulorum parùm. Hinc illi triti verſiculi de triplici Medicorum facie:

Tres Medicus facies habet: unam, quando rogatur,
Angelicam: mox eſt, cùm juvat, ipſe Deus.
Aſt ubi curato poſcis ſua præmia morbo,
Horridus apparet, terribiliſque Sathan.

Et hæc, ſive ſtudio partium, ſive præoccupatione judicij, licèt argutentur obtrectatores, vel æmuli Medentium; manet tamen ſuus honor & laus Medicæ, manent ſuæ difficultates, labores, & pericula ac periculorum prœmia. Mihi ſatìs fuit, argumenta & rationes partem in utramque proponere; Tuæ prudentiæ erit expendere, &, quod optimum factu videbitur, eligere. Vale, & alij quàm plurimi tecum, quos filius Medicus arte curandi valere jubebit.

XXIX.

EIDEM,

An filius ſit Juridico ſtudio applicandus.

SI, quæ de ſtudio medicinæ in utramque partem diſputantur, perſcripſi, grata lectu tibi fuerunt, gaudeo, & ad alteram quæſtionem, num filio ſit Jurisſcientia addiſcenda, reſpondeo, animíque mei ſenſum ſine ullo ſiniſtro affectu (nôſti animum meum) explico. Juriſprudentiam ſemper in laude & ampla æſtimatione fuiſſe, nemo eſt, qui dubitet, cùm teſte Ulpiano ſcientiæ hujus periti, *Sacerdotes Juſtitiæ*, & oraculorum Themidis *Interpretes* habeantur. Tullius graviſſimè: nihil eſt in civitate tam diligenter, quàm Jus Civile conſervandum. Etenim hoc ſublato, nihil eſt, quare exploratum cuiquam eſſe poſſit, quid ſuum, aut quid alienum ſit; nihil, quod æquabile inter omnes, atque unum omnibus eſſe poſſit. *In orat. pro Cæcinna.* Eſt enimverò Juſtitia virtutum omnium, quæ vocantur *Morales*, Domina ac regina; Juris verò conſulti ſunt Reginæ hujus Proceres & Satrapæ, eo honoris gradu, qui cæteris in artibus

bus vix obtineri queat. De hac D. Auguſtinus: Remotâ Juſtitiâ, quid ſunt regna, niſi magna latrocinia? Populus, ut Cicero definit, eſt cæca multitudo, juris conſenſu, & utilitatis communione ſociata. Infelix reſpublica, quæ ſine Jure & Juſtitia regitur; quid enim in ea ſuperſit, niſi diſcordia, perturbatio, tenebræ, errores, lapſus, ruinæ? Juſtitiæ imaginem veteres repræſentabant in Virgine (quam *Aſtræam* vocabant, quæ cæde madentes ultima Cœleſtûm terras relinquens, ad aſtra avolavit) libram alterâ manu ad æquilibrium tenente, alterâ gladium. Virgo dicitur, ut ſignificetur, Juſtitiam debere eſſe integram & incorruptam. Libra indicat, eam Jus exacto examine librare, & cuique æquilibrium aſſignare, bonis prœmia pro meritis, malis pœnas juxta proportionem diſtribuere. Pierius. Quidam pro ſymbolo appinxit duas mulieres, quæ captivæ à Juſtitia trahebantur: altera fractum enſem manu prætendit; altera conto innititur, ut duo vitia extrema, à Juſtitia domita, repræſentaret, atque ex utriuſque medio virtus ipſa adſtrueretur. Fractus enſis ſeveritatem nimiam retuſam cohibitámque indicat; contus lentorem immodicum, quo judi-

judicia protrahuntur, ſignificat. Unde apparet, quàm laudabile, quàm honorificum, quàm utile & neceſſarium ſtudium ſit, Juris ſcientiæ operam dare; ſunt enim Juriſperiti belli pacíſque Directores, ſunt publicæ tranquillitatis Conſervatores, ſunt æqui boníque Aſſertores, ſunt populi Duces, Principum Oculi, Libripendes recti & iniqui, Moderatores præmiorum ac pœnarum. De his Siracides c. 37. v. 29. *Sapiens in populo hæreditabit honorem, & nomen illius erit vivens in æternum.* Quis eſt iſte ſapiens, æternâ memoriâ dignus, niſi vir Juris utriuſque non magìs intelligens, quàm tenax? velut cynoſura ex alto eminet, ad cujus conſulta Princeps, populúſque reſpiciant, & belli pacíſque tempore ſic curſum teneant, ut ad nullum ſcopulum allidantur; de quo poſſis prædicare illud Horatij: lib. 3. carm.

Juſtum & tenacem propoſiti virum,
Non civium ardor prava jubentium
Non vultus inſtantis Tyranni
Mente quatit ſolidâ:
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

Ex ijs porrò, qui Themidis templum frequentant, tres maximè claſſes conſtituuntur.

tur. Prima eſt *Advocatorum* ſeu Cauſidicorum; altera *Judicum*; tertia *Conſiliariorum*; magnarum omnes laudum & honorum capaces. Quid enim præclarius de primò genere (*Advocatorum* ſcilicet) dici poſſit, quàm quòd ſint Patroni, & in tribunalibus compeſcant litigantes, componant diſſidentes, erigant oppreſſos, *Liberent pauperem vociferantem, & pupillum, cui non erat adjutor. Quòd ſint oculus cæco, & pes claudo*, Job. c. 29. de quibus Theodoſianum illud: *Non ſolos imperio noſtro militare credimus, qui gladijs, clypeis, & thoracibus muniuntur, ſed cauſarum Patronos, qui glorioſæ vocis munimine vitam & fortunas hominum defendunt. De Judicibus* quid dicam? quorum tanta eſt dignitas, ut Divinis in litteris nomine *deorum* afficiantur, Pſalmo 81. *DEUS ſtetit in ſynagoga deorum*: qui ſunt iſti dij, niſi Judices, qui ut DEI vicem in terris gerunt, ita ſui nominis participes eos jam olim fecit DEUS. Exod. 22. *Dijs non detrahes, & Principi populi tui non maledices.* Jam *Conſiliariorum* quanta eſt auctoritas, quanta neceſſitas? *Vita & mors in lingua eorum.* Monet Rectorem populi Eccleſiaſticus, c. 32. *Fili ſine conſilio*

conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebis. Et Saluſtius: Priuſquam aliquid facias, conſulito, at ubi conſulueris, maturè facto opus eſt. Anima Reip. ſunt prudentes viri à conſilijs conſtituti; *væ regno, cujus rex puer eſt*, &, quod Roboamo, inſipienti ſapientiſſimi Salomonis filio accidit, qui, neglectis ſeniorum conſilijs, adhibet adoleſcentes rerum imperitos, & ſtolidâ ferociâ elatos. Quis exitus? regnum Roboamus decimâ ſubditorum parte truncavit. De his Salomon peritiſſimus felicitatis publicæ æſtimator: *Multitudo ſapientium ſanitas orbis terrarum.* Sap. 6. Ubi ſana conſilia, ibi proſperi ſucceſſus, & firma patriæ munimenta. Felicem ergo te patrem, ſi filium tuum in ſcientia Juridica profeciſſe videris, ut vel in numero Juriſperitorum, cauſas disertè agentium, ipſe quoque numerum faciat; vel in Judicum tribunalibus Præſes & arbiter ſedeat; vel in Conſiliariorum exedris nomen ſuum profiteatur. Et hæc pro incitatione ad ſtudia Juris alacriter proſequenda, prout epiſtolaris brevitas concedit. Nunc audi, quid in contrarium adferatur. Et quidem ad Advocatos quod attinet, doloſus cinis huic ſtatui ſubſtratus

eſt.

eſt : ſunt enim viri ſapientes, haud ignari periculorum, officij hujus profeſſionem comitantium, quorum ſcripta, ſi expendantur, ferreas etiam fibras concutere & ſalutis metum afferre poſſunt. Ex ijs Petrus Bleſenſis, Anglus, Religione & doctrina vir præclarus: officium, ait, Advocatorum hodie eſt, jura confundere, lites ſuſcitare, tranſactiones reſcindere, dilationes innectere, ſupprimere veritatem, fovere mendacium, quæſtum ſequi, æquitatem vendere, inhiare actionibus, verſutias concinnare. Et hujus ævi religioſus Scriptor: Quoties vident cauſidici, Jus atque juſtitiam à ſe non ſtare, nihilominus actionem ſuſcipiunt, ſcribunt, dicunt, agunt, jus torquent, uncis manibus indulgent: neque hoc gratìs; auream inde meſſem colligunt. Drexel. in Phaeth. Ling. menda. O quàm multi titulum *Advocatorum* profitentur! ſed diſtant nomina rebus: adſunt in judicio, non ut cauſam defendant, ſed evertant; non ut pupillos & viduas tueantur, ſed ut venentur, & ex miſeris miſeriores efficiant; non ut lites finiant, ſed producant; neque ut Judicibus bonitatem oſtendant cauſæ, ſed ut nebulas offundant veritati; ut ſub pallio *Juris* &

Æqui,

Æqui, ſub titulis *Legum* & *Decretorum*, torqueant naſum Bartoli & Baldi, donec protractione litis, cliens impar impenſis, bis ſe ſpoliatum deprehendat, dum & illud, de quo diſceptatur, non adipiſcitur, &, quod habere videtur, forenſibus milvis in prædam cedit. Hòs enim Caſſiodorus ſuper pſal. 73. Togatos vultures appellat, quorum ſi nares afflaverit cujuſquam rubiginoſi aura marſupij, confeſtim videbis illic oculos Argi, & manus Briarei, & ſphyngum ungues, & perjuria Laomedontis, Ulyſſis argutias, Sinonis fallacias, fidem Polymneſtoris. Plato nominat *accipitres pecuniæ, & mures aliena rodentes.* Bartolus, *Canes Curiarum & devoratores.* Seneca *venale genus, clamoſi fori jurgia vendens.* Lipſius *corvos* fori. Quidam *ſanguiſugas*, quarum vox *affer*, *affer*, Prov. 30. Vernulæus in Polit. unde Martialis:

Litiget, ædificet, citò qui vult pauper haberi.

Inter tot ſalebras pede non offendere, tam denſos inter vepres ſpinam non induere, virtutis profectò eſt homine majoris & invicti roboris; quam firmitatem ſi filius tuus ſibi promittit, agat cauſas, & illud poëtæ repetat:

Cauſas,

Cauſas, inquis, agam Cicerone diſertiùs ipſo,
Atque erit in triplici par mihi nemo foro.
Jam verò Judicum Tribunalia quot tetris ſcelerum formis obſidentur, quàm diris ſpectris infeſtantur? in pſalmo ſuprà adducto, cùm Vates Jeſſæus dixiſſet: *DEUS ſtetit in ſynagoga deorum*, mox addidit: *in medio autem deos dijudicat.* DEUS, qui ut Rex eſt Regum, & Dominus Dominantium, ſic eſt & Judicum Judex. Supremus ille Dicæarcha ſtetit in frequenti cœtu Judicum, qui, ut DEI vices in terris gerunt, ita ſunt participes ejusdem nominis. Ille juſtitias ipſas (ſeu Juſtitiæ Præſides) dijudicabit, & arguet: *Uſquequo judicatis iniquitatem: & facies peccatorum ſumitis?* Pſal. 81. v. 2. Quamdiu judicia exercetis injuſta & iniqua? quamdiu faciem magis perſonæ, quàm æquitatem cauſæ attenditis? innocentes opprimitis, nocentum dona accipitis, tenuem & pauperem deſpicitis, injuriam à viduis & pupillis non avertitis? ego requiram ſanguinem juſtorum de manibus veſtris; ego vindicabo violata jura, & veſtrâ vobis menſurâ remetiar improbitates ac ſcelera. Eccleſiaſtes auget terrorem, cap. 3. *Vidi ſub ſole in loco judicij impietatem, & in loco*

juſtitiæ iniquitatem. Vidi, inquit, in tribunali judicij ſedentem Judicem impium, injuſtas proferentem ſententias; ideóque in loco, ubi regnare debebat juſtum Judicium, regnavit Impietas, atque in ſolio Juſtitiæ præſedit & dominata eſt Iniquitas. Hanc deſcribens S. Cyprianus lib. 2. epiſt. 2. ad Donatum: *Sævit*, ait, *imminens diſcordantium rabies, & inter togas pace ruptâ forum litibus mugit inſanum; haſta illic & gladius, & carnifex præſtò eſt: ungula effodiens, equuleus extendens, ignis exurens; ad hominis corpus unum ſupplicia plura, quàm membra ſunt. Quis inter hæc veritati ſubveniat? Patronus? ſed prævaricatur & decipit Judex, & ſententiam vendit.* Propterea monet Siracides c. 7. v. 6. *Noli quærere fieri Judex, niſi valeas virtute irrumpere* (perrumpere) *iniquitates.* Ne ſinas te ullo metu, odio, aut amore à recto Juſtitiæ tramite deflecti, aut ab æquitate ſententiæ detorqueri. Hinc colligitur, quanta integritas, conſtantia, affectuum vacuitas requiratur, ut frangantur improborum conatus, potentium vires reprimantur, oppreſſio avertatur ab innocentibus, ut *æquum* miſceatur *juſto*, ſeveritati clementia: ut

ut excludatur perſonarum reſpectus, eliminetur corruptela munerum, & continentia à blando auri fulgore conſervetur. Et hæc cauſa fuit, cur olim Judicum imagines Thebis pingerentur ſine manibus; *Multos enim* teſte Eccleſiaſtico c. 8. *perdidit aurum & argentum.* Et hic eſt ille bolus, hæc offa medicata, quam Hercules injecit in os Cerberi, ne latraret. Judicum dotes adumbrabant veteres in effigie Juſtitiæ, forma virginali, aſpectu vehementi, & formidabili, luminibúſque oculorum acribus, neque humilis, neque atrocis, ſed gratâ quadam triſtitiâ reverendæ. Oportet namque Judicem, Juſtitiæ antiſtitem, eſſe gravem, ſanctum, ſeverum, incorruptum, inadulabilem, contráque improbos & nocentes immitem atque inexorabilem, erectúmque & arduum ac potentem, vi & majeſtate æquitatis veritatíſque terrificum. *Gellius.* Quas dotes, ſi in ſe filius tuus, inveniri poſſe ſibi perſuadet, conſcendat tribunal, & Jus litigantibus dicat. Neque paucioribus periculis expoſiti ſunt, qui à Principibus & Rebuſpublicis ad Conſilia eliguntur. Quanta in his deſideratur ſapientia, quàm limatum judicium, quæ rerum agendarum aut omittendarum

notitia, quanta peritia & uſus, quæ mentis acies & perſpicacia? Oculi ſunt Principis, in ſpecula ſublimi conſtituti; qui ſi lucidi fuerint, totum reip. Corpus lucidum erit; ſin ignorantiæ aut vitiorum caligine laboraverint, pariter tenebræ operient terram. Quæ fides in ſecretis, quæ in dicenda ſententia libertas, quæ circumſpectio, quæ fortitudo exigitur, ut nec latum unguem à juſtitia recedatur? ut malit Conſiliarius vera, quàm placita loqui, & procul abſit ab aſſentatione; ut ſtudia ſua non ad avaritiam, aut ambitionem, aut gratiam Principis referat. Quiſquis talis fuerit, quidni inter Sapientes orbis adſcribatur? Filius certè tuus ſi ad hunc dignitatis locum promotus à fortuna fuerit, habebis, quod tibi tuæque familiæ inſigniter graturleris, & gratias ſupremo Domino dicas, qui hanc ſortem in ſinum tuum miſerit. At memineris ſimul, ſubita converſione theatrum mutari, & minimâ Principis offenſione felicitatis currum everti. Hæc ego fidus monitor tibi expoſcenti reſcribo; Tu cum *grano ſalis*, ut dicitur, reſponſum hoc meum accipe; neque enim præſtantiſſimam Juris facultatem ulla ratione ſugillari, aut Jureconſultos, quocunque demum

demum in ſtatu poſitos, notari cupio, vel in reprehenſionem vocari; ſed ut obſequerer tuo deſiderio, hoc diſputationis argumentum dictavi ac propoſui. Scio, nullam artem, aut ſcientiam, aut vitæ humanæ conditionem eſſe, quæ non *ſuos patiatur manes*, in qua non contingat labi, & , ut homines ſumus, in errorem ac vitium impelli: felix, *qui minimis urgetur.* Vale, & filium tuum, quò tendit, ſeriò eniti cura.

XXX.

EIDEM.

An Filius Theologiæ ſtudijs ſit admovendus.

RESTAT tertij ſtatûs conſideratio, quæ in deliberationem à te, filióque tuo Adeodato adducitur, an ſcilicet ab eo Thelogicæ ſcientiæ danda opera, & nomen inter Clericos profitendum? Hîc mihi occurrit illud Pauli 1. Timoth. 3. *Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.* Cur non perinde, qui Sacerdotium deſiderat, bonum opus deſideret? Quid enim melius, quid præſtantius, quàm Interpretis & Legati Numi-

nis officium ſuſcipere, & Regum quoque cauſas apud ſupremum rerum Dominum agere? quid dignius & ſanctius, quàm tremendum illud Sacrificium offerre, cui ſumma cum reverentia cœleſtium Geniorum multitudo circumfunditur, & Sacerdotis preces ac Vota cum officioſo miniſterio in aſtra defert? quid admirabilius, quàm tribus verbis cœlum claudere & aperire? quid potentius, non jam ſolem cum Joſue ſiſtere, ſed DEUM ipſum humanâ naturâ veſtire, & corporeis artubus circumſcribere? Hæc tanta quidem eſt dignitas, tanta honoris prærogativa, ut meritò regibus ipſis ſit invidenda. Certè Seraphicus ille Franciſcus aſſerere non dubitavit, ſe, ſi Sacerdoti ſimul, & Angelo de cœlo lapſo occurreret, priorem honorem Sacerdoti exhibiturum, ejúſque manum ad oſculum expetiturum. Intellexit vir Sanctus dignitatem, quæ Sacerdotium comitatur. Quòd ſi Moyſi ad myſticum illum rubum, *ardentem & non combuſtum*, propiùs contemplandum acceſſuro, dictum eſt: *Solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Exod. 3. qua reverentia, ſubmiſſione, præparatione Myſtam oportet Aræ aſſiſtere, & Sacroſancta illa myſte-

myſteria tractare? qua puritate intentionis decet ad Ordines Sacros initiandum ſe conferre, & characterem nunquam delebilem, tantæ dignitatis notam, excipere? Quis huic rubo appropinquet, niſi caſtitatem illibatam tueri ſe poſſe confidat? niſi temperantiam colat, otium fugiat, litterarum ſtudijs delectetur, ſuæque non modò, ſed alienæ quoque ſalutis curâ tangatur, & ab ambitionis ac avaritiæ crimine procul abſit? Malè ijs, qui, ut D. Gregorius hom. 17. in Lucam ſcribit, nulla animarum lucra quærunt, terrenis negotijs ſe implicant, ad inania ſtudia vacant, humanam gloriam captant, locum Sanctitatis pravis exemplis profanant, ad opimos proventus anhelant, ad amplos honores aſpirant, ſua commoda ſubditorum bono anteponunt? Terreant exempla, è ſtatu tam ſublimi triſti caſu ad inferos quoque præcipitantium. *Grandis dignitas Sacerdotum*, inquit D. Hieronymus, *ſed grandis ruina ſi peccant. Lætamur ad aſcenſum, ſed timeamus ad lapſum. Non eſt tanti gaudij, excelſa tenuiſſe, quanti mœroris, de ſublimioribus corruiſſe.* Omne crimen in alto conſpectius, & ideo fœdius. Con-
 venit

venit in hos Altaris degeneres Miniſtros illud Perſij.

O curuæ in terras animæ, & cæleſtium inanes,
Quid juvat hos templis noſtris immittere mores?

Quòd ſi Sacerdotes appellantur perfectionis ſpecula, populi duces, religionis fulcra, Ecclesiæ lumina, mundi ſidera, ſalutis publicæ tutores: quiſquis hos honorum titulos ambit, priùs diligenter expendat,

-- *quid valeant humeri, quid ferre recuſent.*

An adſit illa ſobrietas, quæ cibum moderatur & potum? an illa morum Sanctitas, quæ virtutis lucem ad alios diffundit? an illa corporis & mentis integritas, quæ caſtiſſima Sacra caſtè tractat? ille religionis ardor, illa in DEUM & Cœlites pietas, in horario precum penſo ſolvendo ſedulitas & attentio? illa erga proximi ſalutem charitas & animarum Zelus? & quæ ſunt cetera ſacrorum hominum ornamenta. Puritatem & caſtimoniam in Sacris quoque ſuis, quanquam impuris, requirebant ethnici, qui templorum liminibus trabalibus litteris inſcribebant:

Abeſte profani.

Hinc

Hinc illi verſiculi in ſceleratos, & à ſacratis poſtibus arcendos:

Vos quoq; abeſſe procul jubeo, diſcedite ab aris,
Cui tulit heſternâ gaudia nocte Venus.
Caſta placent Superis; pura cũ mente venite,
Et manibus puris ſumite fontis aquam.

Ad *haram*, non ad Aram Turpiliones impudici, immundi ſues, quos ad aras admovere, eſt, margaritas porcis proijcere; Sacrificia patrant, quibus ſuperi non placantur, ſed irritantur; preces offerunt pravis concupiſcentijs inquinatas, & polluto ore profuſas. Sed quorſum ego hæc introduco? quò me rapit indignatio adversùs indignos Sacrorum miniſtros? quid nobis cum malis Sacerdotibus? cùm bonorum copia ſuppetat, quorum exempla alliciant ad imitationem; quorum vitæ probitas ingeneret amorem virtutis. Exiſtunt enimverò Sacerdotes, *Sancti, impolluti, ſine crimine; non ſuperbi, non iracundi, non vinolenti; qui ſectantur juſtitiam, & invocant Dominum de corde puro; quorum labia cuſtodiunt ſcientiam, quorum ſacro ore lex Divina annuntiatur; qui conſcientiam habent bonam, qui ſe ipſos caſtos cuſtodiunt.* ad Tit. 1. 2. Timoth. 2. Malach. 2. 1. Pet. 3. 1. Timoth. 5. Ab

his, velut ſpeculis, petat formam vivendi filius tuus; horum veſtigia premat, ſi placet, DEI ſervitio in Eccleſiaſtico ſe ſtatu dedicare. Et verò puer etiamnum *Adeodatus* tuus ea ſpecimina pietatis dedit, ut meritò hinc omina & præſagia capiamus, cum in virum excellentem evaſurum, ſi, poſteritatis curâ neglectâ, velit ſanctioribus ſe ſtudijs dedere. Verùm hæc ego non eò ſcribo, quòd rete expandere cupiam ante oculatum: ætatem habet; novit, cui ſerat, cui metat; hoc in litteris iſtis meum fuit conſilium, ut oſtenderem difficultates, pericula, incommoda, quæ in varia vitæ humanæ inſtituta incurrunt; commoda quoque, utilitates & ornamenta perſequerer, quæ in Electione ſtatûs in comparationem venire debent; penes eligentem eſt, cui velit littori cymbam advertere, modò ne cæco impetu feratur, & inconſulta temeritate in Sirtes impellatur. Siracidis monitum eſt, (utor enim libenter teſtimonijs nunquam fallentibus) *In via ruinæ non eas, & non offendes in lapides: nec credas te viæ laborioſæ, ne ponas animæ tuæ ſcandalum.* c. 32. v. 25. *Via ruinæ* eſt temeraria ſtudij alicujus aut officij conditio ſuſcepta, non altiore inſtinctu inſpirata, non du-

ce

ce natura & inclinatione in humeros impoſita, ſed ſine prævia deliberatione adita, alienâ magìs perſuaſione, quàm *proprio motu* delecta, quia vel ita parentibus placet, vel plures è familia præceſſerunt, vel commoda lautioris vitæ ſe oſtentant. *Via laborioſa* eſt, quæ multis aſperitatibus intercepta, crebris offendiculis expoſita, caſibus & præcipitijs obnoxia, in quo plures collapſi, ſerò incogitantiam ſuam damnaverunt; multi labores exhauſti, moleſtiæ devoratæ, ærumnæ toleratæ, ſed nullo fructu, in beatioris vitæ prœmium redundante. Has vias ineunt, qui à quovis vento in diverſa movendi, non tam agunt, quàm aguntur, & ſola opinione, aut animi lubentiâ feruntur; denique deprehendunt, in lapides ſe offendiſſe, in ſcopulos impegiſſe, *animæ ſuæ ſcandalum*, hoc eſt, grave periculum acceſſiſſe. Equidem non deſunt, quos in ſtatu Eccleſiaſtico otium & incontinentia perdidit, quibus conjugium, & conjunctæ cum eo occupationes ſaluti fuiſſent. In ipſo etiam Religionis portu, ob pervicaciam aut inconſtantiam, naufragium aliqui fecerunt, qui *ſæculi* mare tutiùs navigâſſent: *non enim omnia omnibus expediunt, & non omni animæ*

omne

omne genus placet. Eccli.37. Adoleſcentem, litterarum amantem, velle ad mercaturam vel militiam applicare, id quidem eſt, invitâ Minervâ calamum extorquere è manibus, & librum cum marſupio aut haſtâ permutare; viciſſim, juvenem Martiales animos gerentem velle pulpito affigere, quid aliud eſt, quàm Prometheum ad Caucaſum alligare, aut virilem animum in compedes dare? Quàm imprudenter ad cœlibem vitam non tam invitatur, quàm arctatur, quem calidior ſanguis ad Hymenæum vocat? Sunt haud pauci, qui non amore caſtitatis, aut continentiæ, non Divini obſequij ſtudio, ſed ſolâ Eccleſiaſtici cujusdam Beneficij, & pinguioris Sacerdotij ſpe, ad Sacros Ordines convolant, in vitæ duntaxat commoditates cæco amore intenti. Suus cuilibet ſtatus ſit ductor, ſit director ad beatiorem vitam, ad cœlum: in hac deliberatione, qui errat, ſentiet, errorem, qui initio videbatur levis, maximum eſſe in fine. Exitus viæ ſpectandus, non jucunditas; eò pergendum, ubi meliùs, non ubi commodiùs, lautiùs, aut liberiùs vivas. Hæc ego, multâ experientiâ doctus, tecum communicare volui; non ut docerem doctum, aut facem inferrem Soli,

ſed

ſed ut petitioni tuæ reſponderem, & quid in hoc ſalutis, non modò temporariæ, ſed etiam æternæ, negotio præcipuè curandum ſit, familiari epiſtola aperirem. Vale, & hæc filio tuo meditanda propone; ipſius res agitur, ſive rectè ſive ſiniſtrè eligat: hîc uſurpes illud Evangelicum: *Ætatem habet; ipſe pro ſe loquatur*, pro ſe optionem inſtituat, & eò curſum intendat, ubi *Fortunatas Inſulas* inveniat.

XXXI.

UDALRICO TORALIO

Podagrâ laboranti Salutem & patientiam.

SCribis mihi aliena manu, menſem jam tertium articularis te morbi doloribus acutiſſimis torqueri, & attineri lectô; nullam tibi quietis partem concedi; noctes vigilari amaras, nec ſpem ullam eſſe in Medicis & medicinis; adhiberi cataplaſmata, fomenta, malagmata; vini te potu abſtinere, cibo modico frui, nihil tamen adversùs inteſtinum hoſtem proficere; vivum in culcitra ſepeliri, & ante mortem mori; ſolatium nullum ſuppetere, ne à cœlo quidem, cùm domi velut in

in cippo incluſus, à templo, Sacríſque exercitijs arcearis; ſtomachum adhæc redundare bile, domeſticorum obſequia in nauſeam & faſtidium verti; nec in libris & litteris auxilium ullum aut lenimen reperiri, cùm magis pigeat vivere, quàm legere delectet. Credo, & condoleo animitus tibi, tam diros cruciatus patienti, & nihil magis opto, quàm ut viro amiciſſimo poſſim adferre levamen. Et quia non lacrimis tantùm, ſed etiam

Lenitur Verbis, egeritúrque dolor,

hoc ſaltem præſenti epiſtola præſtare conabor, ut ad æquitatem mentis te revocem, & levius reddam, quidquid erit toleratu grave. Cogita, me tibi decumbenti aſſidere, Clinicum (ut olim vocabantur) agere, & familiari alloquio in aurem depromere, quæ mihi ſuggerit cupido te juvandi, aut certè ſolandi. Podagram non inficetus Poëta inducit, in hæc verba loquentem:

Regina morborum Podagra nota ſum,
Quam nulla placant thura fumigantia,
Affuſus aris nec cruor ardentibus,
Suſpenſa templis divitum aut donaria,
Nec ipſe Pæon, omnium cæleſtium
Medicus Deorum, vincere pharmacis poteſt,
Phœbíque doctus filius Æſculapius.

Gra-

14

Gravis hominibus, & inauſpicati nominis
Paſſim flagellor, mortalibus dirum malum,
Quæ vinculis adſtringo triſtibus pedes,
Ingreſſa clàm ſub artuum compagines.
Ridere ſoleo eos, quos torqueo,
Dum proloqui veram cauſam haud volunt,
Aliámque fictam in promptu habent, quâ ſe tegant:
Luxatum alicubi, aut graviter læſum pedem
Dum dictitant, verámque cauſam ſupprimant.

Solent enim, qui primos hujus morbi prodromos ſentiunt, etiam nomen hujus peſtis abhorrere, & non ſecus, atque olim Romani appellationem *Crucis*, refugere, aliámque ægritudini ſuæ cauſam prætexere; talum nempe articulari morbo infeſſum, per offendiculum ad lapidem everſum, aut improvido ſaltu luxatum, aut pedem arctiori calceo preſſum affirmant. Quòd ſi nomen ipſum tam eſt inviſum & abominandum, quid demum de diris cruciatibus dicendum erit, quibus miſeri mortales, velut in equuleo, torquentur? Podagra audet ſe Reginam morborum eo etiam titulo vocare, quòd magnum ſecum comitatum trahat; nam quæ in pedibus vocatur *Podagra*, in coxendicibus appellatur *Iſchias*;

per

per articulos vaga, *Arthritis*; in manibus *Chiragra*; in genibus *Gonagra*; in inteſtinis *Colica*; in nervorum reſolutione *Paralyſis*: fere ſicut oceanus, univerſum orbem ambiens, diverſa nomina à locis & gentibus, quas alluit, accipit, ut mare Ægæum, Adriaticum, Balticum, Gaditanum, Liguſticum, Tyrrhenum, Herculeum, Atlanticum, Creticum, Siculum, Germanicum, omnia ex oceano originem ducentia. Podagra, ſuperbis titulis inflata, plerumque vitat pauperum tabernas, & in lautis domibus habitare gaudet. Nota eſt fabella de *Aranea* & *Podagra*, peregrè profectis; & illa quidem ad opulenti cujuſdam ædes divertit; iſta verò in ruſtico tugurio hærere cogebatur. Aranea, ut primùm telam ſuam exorſa eſt, mox ancillarum ſcopis dejecta, & laboris jacturam, & periculum vitæ adijt; Podagra ob inopiam, noctem inſomnem, diem jejunum traduxit: hoſpitium igitur ſuum pertæſa, in ſplendidius immigravit, ibi quàm molliſſimè habita, inter varia fomenta delicatè vixit; Aranea quoque ædes ſuperbas reliquit, & in tutiorem locum ſe recepit. Fabella de te narratur: tu certè videris non incom̃odum diverſoriũ hoſpiti tuo præbere, quoniam tertium jam menſem

ſem tecum commoratur: ignoſce, amice, jocanti; conſolationes enim, ut ſapiant, modico ſunt ſale miſcendæ, ne illud Jobi in me retorqueatur: *Conſolatores oneroſi omnes vos eſtis.* cap. 16. v. 2. Sed ad ſeria. Ad morbi acerbitatem pacatiùs ferendam haud parùm confert, ſi in mentem revocemus, alios quoque hoc malo premi, nec nobis communem mortalium ſortem eſſe refugiendam. Legimus viros, ſanctitate clariſſimos, ad hanc molam damnatos fuiſſe. Gregorius Pontifex, cognomento Magnus, major etiam extitit, articulares dolores patientiſſimè ſuſtinendo. Is, qui Chriſtum omnium morborum cœleſtem Medicum inter pauperes hoſpitem habuit, potuiſſet utique pro ſymbola integram valetudinem impetrare, ſi placuiſſet aurum abjicere, coronæ in cœlo fabricandæ materiam. Philippus Nerius, quantus DEI amicus! maluit pedum ſæviſſimos cruciatus perferre, quàm, aliorum ipſe Thaumaturgus, prodigioſam ſibi opem exhibere, ne ſublatô adverſariô vincendi tolleretur præmium, merendi argumentum. Quòd ſi horum exempla, tanquam nimis grandia, te non afficiant, virum tibi proponô, non è Sacris exedris advocatum, aut ex *Albo* Divorum ad-

ductum, ſed militem, in caſtris verſatum, in prœlijs penè continuis, diverſis cum hoſtibus dimicantem, maximis cœli injurijs expoſitum, terrâ maríque mille incommoda perferentem. Nominari hunc cupis? Eſt is novus prioris ſæculi Hercules, cujus immortalia facinora, & victorias nulla ætas conticeſcet: incomparabilis heros, qui parem ſuo tempore non habuit, nedum majorem; nulli unquam palmam ceſſit, niſi ſibi ipſi; articulares cruciatus eâ conſtantiâ pertulit, ut non minorem fortitudinis laudem patiendo, quàm agendo reportârit. De Carolo V. loquor, æternæ memoriæ Imperatore, de cujus in hoc morbo tolerantiâ hæc accipe: contra uſitatum militiæ morem (refert Avila hiſtoriæ ejus ſcriptor) diſſentientibus pleriſque ducibus, tota hieme exercitum ſub ſignis tenuit, & quamvis graviſſimis Podagræ atque arthritidis doloribus affectus eſſet, per nives & glaciem dextrum crus faſciâ obligatum circumferens, omnia boni Imperatoris munia ſtrenuè obivit: ad quem cùm Elector Brandeburgicus ſolatij causâ inviſeret, & moneret, Medicorum operâ utendum, eorúmque peritiſſimos offerret, reſpondit memorabili ſententia: *in hoc morbo optimum medicamentum*

tum eſſe patientiam. Unde fruſtra accuſamus inſcitiæ Medicos, cùm jam olim Poëta edixerit:

Tollere nodoſam neſcit medicina podagrã.

In Sacra Hiſtoria reprehenditur Rex Aſa, podagrâ laborans, quòd Medicorum magis, quàm DEI manu nixus, malo ſuo remedium potiùs ab humano, quàm Divino auxilio quæſierit, &, forſan etiam ſuperſtitionibus uſus, Orcum in vota vocârit: huc adducit impatientia, & mens à DEO ad artes nil profecturas averſa. At gravitas doloris patientiam vincit: cujus? quem etiam Japonum pueri & feminæ ſuperant; inter undantes ignium rogos de animi generoſi conſtantia non recedunt; ſine gemitu prunas capiti in modum coronæ imponunt. Notus eſt ille Scævola Romanus, qui pro laudis evanidæ gloria non dubitavit manum ardenti foculo admovere, & ſpectanti hoſti horrorem inijcere, cùm ipſe dolore non commoveretur ſuo. Verè Seneca, *Natura ſic diſpoſuit, ut dolorem aut tolerabilem faceret, aut brevem*: quod tibi dictum velim, qui putas, te non ferenda ferre. Morbus, ſi recto oculo aſpiciatur, eſt virtutum Magiſter, probitatis ſchola, fortitudinis exercitium, teſſera amicitiæ Divinæ, pi-

gnus ſalutis æternæ. Multi compinguntur in lectum, ut ſibi vacent, & rem ſalutis diligentiùs curent; juxta viri cujuſdam ſapientis dictum, *Anima nuſquam pejùs, quàm in ſano corpore habitat. Infirmitas gravis ſobriam facit animam*, ait Siracides c. 31. Multis podagra optabilis accidit, quia producit annos. Abſtinentia mater eſt longævitatis; ſæviant maligni humores in membra ignobiliora, ut cordi, vitæ ſedi & arci, parcatur. At præpeditum morbo, quereris, te cogi à Sacris Officijs abeſſe: mitte hunc ſcrupulum; ſatis DEUM colit, qui eum religioſa voluntate colit; nihil intereſt, ubi locorum te ſupremus arbiter ad audientiam vocet, modò clementem aurem indulgeat; breve compendium orationis ſunt ſuſpiria; audiuntur, etiam mutis labijs, &, ſi intelligis, pedes quoque loquuntur, quot doloribus, tot linguis, ſicut milites vulneribus, virtutem ſuam teſtantibus. Sacrificio Miſſæ adſiſtere non potes: at potes Sacerdos eſſe, & Ara, *patiendo*; hoſtia quoque, ſeu victima gratiſſima, teipſum Divinæ voluntati conſecrando. Finio, ne obtundam prolixitate; ſpero, te brevì pòſt nobis, & publicæ luci reſtitutum iri. Valetudinem meliorem ſic opto tibi, ut deſideratiùs opta-

optare non poſſim. Interea perfer & perdura.

XXXII.

AD

EVGENIVM SOPHRONIVM

De vera Nobilitate.

EPiſtolâ nudius-tertius ad me datâ ſignificâſti, nuper domi tuæ exortum eſſe conflictum, ſeu potiùs jurgium, parúmque abfuiſſe, quin illud ſanguine tingeretur: invitatos à te ad frugale epulum amicorum quoſpiam, & inter eos *Camillum*, juvenem nobili genere oriundum; & inter alios *Cajum*, munere Syndici fungentem, Juris utriuſque in paucis peritum. In menſa, ut fieri ſolet, varij ſermones (quos Sympoſiacos vocamus) miſcebantur; convivas fæcundi calices fecêre diſertos. Inter alias quæſtiones in medium prolatas injecta eſt Nobilitatis mentio. Arripuit eam occaſionem Camillus, proſapiæ ſuæ extollendæ; cœpit plus æquo prædicare ſtemmatis aviti claritatem; jactare atria fumoſis Majorum imaginibus plena. Diu pa-

tienter auſcultavit Cajus, nec inficias ivit, magnam eſſe Nobilitatis prærogativam; generoſitatem ſanguinis meritò inter præcipua fortunæ munera numerandam. Sedcùm Camillus non acquieſceret hujus laudis moderationi, & præ ſe contemneret inferiores nobilitatis gradu inſignes honores, bilem concivit Cajo, adeò ut recitaret ex Juvenale verſiculos;

Stemmata quid faciunt; quid prodeſt, Pontice, longo
Sanguine cenſeri, pictóſque oſtendere vultus
Majorum? Miſerum eſt, aliorum incumbere famæ,
Ne collapſa ruant ſubductis tecta columnis.

Convitium interpretatus Camillus, ſurgit in iras, arripit enſem, manum admovet capulo, petiturus Cajum, niſi diſcumbentes cohibuiſſent. Tunc quidem ſine vulnere diſceſſum eſt: remotis menſis ſuam quiſque domum abijt; Camillus minarum ſpirans, etiam in abitu, vindicandi ferociam præſeferebat; Cajus placido vultu, gratijs convivatori actis, excuſabat importunum diſſidium, & lento pede ex ædibus ſe efferebat. Tu quæris, quid nobis viſum

viſum ſit in hac altercatione? Meam quidem tum ſubibant mentem Venuſini Vatis verſus.
Vina parāt animos, faciúntq; caloribus aptos.
Subſequitur cæcus amor ſuî, &
Attollens vacuū plus nimio gloria verticē:
id quod Camillus faſtu ſuo oſtendit. Cæterùm quod attinet ad propoſitam quæſtionem, quid de *Nobilitate* ſentiam, ſic mentem meam explico. Nobilitas, ſi vocis originem ſpectamus, à *noſco* derivatur. *Nobilis* enim dicitur, quaſi *Noſcibilis*, nempe clarus & nominatus à virtute, genere, rebus geſtis, per ſe aut Majores ſuos: accipitur in bonam & malam partem; dicuntur enim etiam ſcelere nobiles. Non deſunt, qui, ut antiquitatem proſapiæ demonſtrent, affirmant, familiæ ſuæ conditores ex *Equo Trojano* prodijſſe. D. Gregorius Nazianzenus triplicem Nobilitatem ſtatuit: primam aït à DEO deſcendere, qui nos ad imaginem ſuam condidit; alteram à priſco ſanguine, & claris natalibus; tertiam à virtute & ſapientia. Alij præcipuos Nobilitatis fontes & capita accerſunt à *Sanguine*, ab *Armis*, *à Litteris*. Quibus adduntur *Officia Aulica*, *Geſti Magiſtratus*, Inſignia in Remp. *Merita*. Qui Latinam linguam ſtrictiùs obſer-

fruſtra jactantur criſtatæ galeæ, *& ſtantes in curribus Æmiliani:*

-- *Non cenſus, nec clarum nomen avorum,*
Sed probitas Magnos, Ingenuóſq; facit.

Et alius:

-- *Nobilitas ſola eſt, atque unica virtus.*

Nobilitas virtute carens, quid aliud eſt, quàm *Truncus* compluribus trophæis onuſtus, cui ſubſcribas: *Alienis ſpolijs.* Apud veteres Quirites dicebantur *Nobilitatem in aſtragalis habere*, qui pro Nobilitatis Inſigni auream lunulam in calceis, plumbum in capite geſtabant. Rectè cecinit ille:

Et genus, & proavos, & quæ nõ fecimus ipſi,
Vix ea noſtra puto.

Aliena laudat, qui genus ſuum laudat: cui poſſit illud obijci,

Feceris ipſe aliquid, propter quod Nobilis eſſes.

Nihilominus in felicitate Fortunæ ponendũ, claris Majorum imaginibus illuſtrem eſſe: poſſe oſtendere haſtas, vexilla, phaleras, manubias de hoſte reportatas: poſſe proferre Inſignia, clypeos, adoreas, fortitudinis præmia: poſſe ſpectare in teſſeris gentilitijs leones, urſos, apros, tigres, ſtruthiones, aquilas, militaris virtutis argumenta ac ſymbola. Salomon

laudaturus terram, felicitatem ejus à Nobilitate Regis ducit, Eccl. 10. 17. *Beata terra, cujus rex nobilis eſt.* Ex hoc loco colligunt cum Bartolo Juriſconſulti privilegium nobilitatis, ut ex ea potiùs, quàm ex plebeijs familijs aſſumantur ad honores, & dignitates, magiſtratus, & ſplendida urbium ac provinciarum munia. Quin & Plato in Alcibiade: Conſentaneum eſt, inquit, meliores eſſe naturas in nobili genere, quàm in ignobili, ac neceſſe eſt, ut bene nati, ſi bene educantur, ita demum ad virtutem perveniant. Et in proverbijs ejuſdem Regis, encomium & ornamentum laudatiſſimæ matronæ ponitur, quòd *Nobilis in portis vir ejus, quando ſederit cum Senatoribus terræ*, Prov. 31. Apud Hebræos namque tribunalia & Conſeſſus Judicum ſub ipſis portis, in aditu civitatis conſtituebantur, ut facilis eſſet ad ipſos acceſſus. Debentur igitur præcipui honores Nobilitati, ſi, quod Plato dixit, *bene educetur*; debentur torques ei & annuli aurei, ſi illis pro gemmis ſit inſerta modeſtia, comitas, humanitas; hinc amor & reverentia; nihil odioſius faſtu & tumore. Jubet moderatè de ſe ſentire Nobilitatis origo, quæ ſolet plerumque eſſe tenuis, ut maxima flumina *fonte cadunt modico.* Proceriſſimæ

arbo-

arbores olim *virgæ fuerunt*; & Imagines Gentilitiorum Inſignium non rarò ſunt ridiculæ, ut olim *Silenorum*, diverſis coloribus expictæ, ore monſtroſæ, auritis capitum tegumentis, morionum clavis armatæ, animalium cornua & ungulas exhibentes. Ex hiſtorijs ſcimus, Agathoclem Siciliæ Regem fuiſſe figulum, Juſtinum Romanorum Imperatorem ſubulcum, Tamerlanem paſtorem, Saulem Hebræis imperantem ab aſinis ad coronam, Davidem à pera & pedo paſtoritio ad ſceptrum aſcendiſſe. Quapropter nemo ſe vetuſtis avorum ceris, & priſco ſtemmate jactet, aut novitios Nobilitatis titulos aſpernetur; nam & *Novi* poſſunt perennare, & *Antiqui* deſinere. Iphicrati Athenienſium Duci cùm quidam generis obſcuritatem obijceret (nā patre ſutore natus erat) reſpondit: *Meum genus à me habet originem, tuum verò in te deſijt.* Idem fertur M. Tullius æmulis ſuis dixiſſe, & gloriatum, *ſe majoribus ſuis virtute præluxiſſe.* Poculum hic aureum, teſte Plutarcho, Dijs dedicavit, prænomen, noménque ſuum litteris inſcripſit, cognomen verò cicere cælato indicavit. Ita Lentuli à lente, Fabij à fabis; Aſinnij, Porcij, Corvini, & innumera alia à rure & ſilvis tranſlata in illuſtres

luſtres pinnacothecas nomina. Quæ cùm ita ſint, ne ſpernat nobilior ſanguis popularem, neque lauri & hederæ, doctarum prœmia frontium, excludantur ab imaginibus torquatis; generoſorum etiam ſtemmatum frontes rarò illimes fluunt, & ingeniorum ac ſapientiæ rivi nihil fæcis de natalium vilitate trahunt. Tantò ergo ob inſolentiam & jactantiam culpabilior Camillus, quantò laudabilior ob modeſtiam & temperationem Cajus. Tuum erit, utrumque in priſtinam amicitiam recomponere, & Cajo *nobilitatē Litteratam*, Camillo *natalitiam* & avitam aſſerere. Vale, & hanc mentem eâ, qua ſcripſi, limitatione & explicatione accipe.

XXXIII.

ERNESTO ALITHINO Salutem.

Imago hominis pſeudopolitici.

QUæris ex me per epiſtolam, quid ſit, cur, cùm *Politica* ſit *Scientia Civilis*, & πολιτεία, Status Civitatis ſeu Regimen Civile, cujus finis juxta Ariſtotelem eſt, feliciter

citer vivere; & *Politicus* appelletur, qui callet artem rectè adminiſtrandi remp. & vivit ſecundùm leges & ordinem *ſocietatis humanæ*, cur, inquis, hoc tempore paſſim *Politici* malè audiant, &, tanquam everſores ſocietatis ac converſationis humanæ, plurimorum linguis ac calamis flagellentur? Vox ipſa *Politicus*, jam eò infamiæ devenit, ut *Politicum* aliquem vocari, reputetur pro vituperio, & nihil differat à pſeudopolitico, qui nunc Politici nomen habet. Reſpondeo ad hanc quæſtionem, idem evenire voci *Politicus*, quod contigit vocabulo *Tyrannus*, qui olim ſignificabat *Regem*. Teſte Virgilio 7. Æneidos:

Pars mihi pacis erit, dextrã tetigiſſe tyranni.

Poſtea nomen hoc ad illos reſtrictum eſt, qui inſolenter, & pro animi libidine dominabantur; & *tyrannicè* imperare, erat crudeliter & violenter imperio abuti. Ita ſecundùm Ariſtotelem, Tullium, & alios Scriptores Ethicos, *Politicum* eſſe, in laude ponebatur, pro Cive bono, & æqui boníque publici obſervante: poſtea propter malos mores, & rationem infidam ac doloſam agendi loquendíque, translata eſt hæc appellatio ad homines vafros, verſipelles, verſutos,

tos, bilingues, & ad os alijs ſublinendum exercitatos, qui ſub palliolo politico, & elegantiâ gypſatâ volunt videri, candidè & ſincerè promere ſenſa animi, & bono publico, privatóque amicorum conſulere, cùm interea omnia per fucum & fallaciam fingant, faciant, cogitent, dicant: officiorum illorum ſunt largiſſimi, quæ nihil habent impendij: ſalutant blandè, laudant affatim, promittunt ſplendidè, nihil præſtant: vultum ad quemlibet actum fabulæ componunt; ad lucrum ſuum unicè intenti. Horum Magiſtrum, ajunt, fuiſſe Nicolaum Machiavellum, Scribam Florentinum, cujus inter alia dictamina etiam hæc ſunt: *Si altum faſtigium aſcendere, & inſignes aliquos progreſſus facere velis, ars quædam decipiendi tibi neceſſaria eſt.*

In magna felicitate id æquius, quod validius.

Quod civibus te tenere invitis, ſcias.

Strictus tuetur enſis. Senec. in Hercul. furente.

Quidquid valde utile eſt, etiam honeſtum cenſendum.

Quos non potes jure, per calumniam everte:

Prudentis eſt, ſcire, alios naſo ſuſpendere:

Sua

Sua retinere, privatæ domus eſt; de alienis Certare, regiæ laudis. Tacit.

Aliud loqui, aliud ſentire, Politicum exiſtimatur, & quæ ſunt horum ſimilia ſexcenta. O peſtes! ô larvæ ſocietatis humanæ! quæ per hos homines Politicos è medio tollitur, & *Jus* omne, *Verúmque* profligatur: aliud ſtantes, aliud ſedentes loquuntur; nôrunt callidè, in ſuum commodum ſervire ſcenæ & tempori, omníque vento velum obvertere: foris mentiuntur ovem, intus geſtant vulpem! Rota figuli, ut cum Plauto loquar, non eſt tam verſabilis, quàm verſuti iſti in omnes aſtutias circumaguntur; cum coruis crocitant, cum columbis pipiunt, cum luſcinijs cantant. Vidiſtíne aliquando imaginem, quam vocant *ſtriatam*, hoc eſt, ex varijs tabellis, tanquam ſtrijs plicatilem; hæc alia atque alia contuenti apparet; nam ſi à dextris eam aſpicias, Regem refert, à ſiniſtris bubulcum, à dextris juvenem formoſum, à ſiniſtris fœdum cacodæmonem, à dextris leonem, à ſiniſtris ſimium; prout te verteris & ſtationem mutâris, mutabitur effigies, curioſo oculorum ludibrio. Habes hîc expreſſam iconem falſi *Politici*, Proteum vel Vertumnum dixeris,

ris; ita in omnes formas convertitur. Polypus piſciculus ſaxorum, quibus ſe admoverit, colores refert; chamæleon quoque animalculum omnes imitatur colores, præter *album.* Hic eſt genius pſeudopoliticæ, delectatur offucijs, fallacijs, vaframentis; placent omnes colores, ſolus candor diſplicet; ſub blandis verborum officijs latent fraudes, doli, inſidiæ; ſermone gaudet implexo, & in varium ſenſum explicando, ut inſtar anguillæ teneri non queat. Verùm rectè monet Siracides, *Cor ingrediens duas vias, non habebit ſucceſſus.* c. 3. v. 28. De his, S. Bernardus ſerm. 61. *Hypocritæ oves ſunt habitu, aſtu vulpes, actu & crudelitate lupi: hi ſunt, qui boni videri, non eſſe; mali non videri, ſed eſſe volunt. Mali videri timent, ne parùm ſint mali; etenim minùs ſemper malitia palam nocuit; nec unquàm bonus, niſi ſimulatione boni deceptus eſt.* Verùm labia hæc doloſa ſæpe carent ſucceſſu, & fraudulenta aſtutia in autorem ſuum recidit juxta Salomonem Prov. 26. v. 27. *Qui fodit, foveam, incidet in eam. Nam labijs ſuis intelligitur inimicus, cùm in corde tractaverit dolos.* Ibid. v. 24. Proditur enim ſuâ ipſius loquelâ, & im-

& implicatur reti, quod alteri paravit. Fictio & ſimulatio ſunt nivi vernæ ſimiles, mox ad ſolis radios diffluenti; à verbis abludunt facta, fallaciam hiſtrionis detegit larva retecta. Sic eluſa eſt vulpina Herodis aſtutia: *Ite, & interrogate diligenter de puero, ut & ego veniens adorem eum.* Hem adoratorem! ſub ovillis exuvijs lupum, qui mactare cupit & devorare. Arabici Principes reverſi ſunt per aliam viam in regionem ſuam; fruſtratus vano captator hiatu. Et Cain ille primus parricida, cùm blandis verbis ductâſſet Abelem in agros, *Egrediamur foras*, fratrem velut agnum lanius duxit ad macellum, & inſontem jugulavit. Putes ſucceſſiſſe dolos, ſimulationi reſpondiſſe exitum? Neutiquam. Terra clamavit, cùm muta jaceret innocentia; præſens vindicta inſecuta eſt latronem, perpetuo tremore artuum & pavore conſcientiæ crudelem fallaciam luit; nec enim homo perfidus ſicca morte ad inferos deſcendit. Neque felicior fuit Joabus, Davidis Regis militiæ Princeps, qui Amaſam belli Ducem à parte Abſalonis humaniſſimè ſalutavit, etiam libato oſculo, cum dicto; *Salve mi frater!* ſalutem auribus ingeſſit, pugionem viſceribus

immerſit; poſtea ad aram ipſam trucidatus, pœnas dedit ſanguinis per doloſam ſimulationem effuſi. 3. Reg. Uſque adeò violatio fidei nulli diu felix fuit. Et licèt eſſet; quid indignius, turpius, ingenuo homini deteſtabilius, quàm nomen veracis perdere? ejus teſtimonia, promiſſa, pacta, conventa, ipſa juramenta ſuſpecta haberi? Salomon Prov. 14. *Vir*, ait, *verſutus odioſus eſt.* Semel fallenti non facilè iterum creditur; videtur quidem in exuvijs leoninis incedere, aſſutâ tamen caudâ vulpinâ prodit ſimulationem. O quantò laudabilior veterum Germanorum ſimplicitas! Quis eorum

--*Non fugeret ſi nunc hæc monſtra videret?*
Juvenalis.

Quid enim monſtroſius, quàm pectus ex vulpe, ſimio, colubro compoſitum, & lingua ex fallacijs & fraudibus conſuta: etenim ſi *Fides* fundamentum eſt ſocietatis humanæ, quis non videt, eo concuſſo aut ſuffoſſo, pariter juſtitiam, & privatum publicúmque bonum funditus perire, omnéque inter mortales commercium non modò labefactari, ſed everti? nam ſi Ratio, lumen & dux hominis, in tenebras & errorem inducatur, quid aliud reſtat, quàm perturba-

tio,

tio, confuſio, & humanæ mentis everſio! ſequuntur inde amicitiarum diſſolutio, officiorum perplexitas, æqui boníque ignorantia, uno verbo, chaos immenſum omnia involuit; fit terrarum orbis noſocomium glaucomate laborantium; fit receptaculum lippitudine & cæcitate captorum, ad lucem ſuſpirantium. Minatur Siracides his *Rationis* ſubverſoribus: *Væ duplici corde, & labijs ſceleſtis*, c. 2. ad Græcos & Pænos cum his peſtibus. Germana fides olim per omnes mundi plagas celebrabatur, ſinceritas apud cunctas gentes prædicabatur, idémque erat, Germanum eſſe, atque virum fraudis & doli ignarum, cui plus injurato crederes, quàm jurantibus alijs aliarum terrarum populis. Factis jurabant, non verbis: juxta illam Evangelij regulam, *Eſt Eſt, Non Non*, omnia ſua dicta & conventa metiebantur; quidquid affirmabant aut negabant, promittebant aut condicebant, ratum erat ac fixum. Stipulata manus locum omnium tabularum & ſigillorum explebat. Viderint ergo noſtri temporis *Politici*, quomodo has Majorum ſuorum laudes, & patrium nomen tueantur; quàm ſceleſtè deſerant veſtigia Majorum, qui propter opimiores ſpes violari jus

& jusjurandum poſſe putant: pueros talis, ajunt, viros juramento fallendos. O mores! ô tempora! exclamet hic aliquis cum Tullio. Verè de noſtra ætate Politica Plautus:

Qui cavet, ne decipiatur, vix cavet, cùm etiã cavet,
Etiam cùm caviſſe ratus eſt, ſæpius cautor captus eſt.

Atque hæc ex occaſione propoſitæ quæſtionis: ſolidiora ab ijs pete, qui nervoſiùs & diſertiùs diſcutiunt. Finem facio epiſtolæ cum verſiculis antiquæ ſimplicitatis, in noſtra tamen tempora vibratæ veritatis:

Annis mille jam peractis,
Fides nulla eſt in factis,
Mel in ore, verba lactis,
Fel in corde, fraus in pactis.

Vale, & votum ex Venuſino Vate de arte Poëtica accipe:

Nunquam te fallant animi ſub vulpe latentes.

XXXIV.

XXXIV.

URSINO BELLOFONTIO

De

Agape hortenſi.

INter honeſtas & ingenuas animorum non minùs, quàm corporum relaxationes, meritò numerantur *Amicorum* Epulæ, de quibus Clemens Alexandrinus Pædag. lib. 2. teſtatur, priſcis non tantùm ethnicis, ſed primis etiam Chriſtianis *ἀγάπας*, tanquam mutuæ inter homines charitatis, tum *ſymbola*, tum etiam *vincula*, fuiſſe nuncupata. Plutarchus præfatione lib. 4. *Sympoſ.* Quemadmodum forum, inquit, negotiorum causâ, ita convivia ad conciliandos animos accedimus. DEUS ipſe, cùm Hebræorum populo leges & inſtituta præſcriberet, eos, poſtquam Sacris operati fuerint, jubebat hilaritati epularum indulgere. Deuteron. 26. *Adoratô Dominô DEO tuô, epulaberis in omnibus bonis, quæ Dominus DEUS dederit tibi.* Et Eccleſiaſtes c. 9. *Vade, comede in lætitia panem tuum, quia DEO placent opera*

 tua.

tua. Per *panem* ſolet S. Scriptura quodlibet genus ciborum intelligere ; litatur verò convivali genio in lætitia & hilaritate, cùm in amicorum diſcubitu animus ſimul & corpus paſcitur ; ſecus, eſſet bruta voluptas, ſi delectatio in ſolo palato quæreretur. Pulcherrima cauſa lætandi eſt, *quia DEO placent opera tua* ; eſt enim *ſecura mens, quaſi juge convivium*, Prov. 15. ſecuritas hæc conſiſtit in integritate vitæ, & vacatione à culpis ; neque verò poteſt, etiam inter ſpumantes cyathos, & oneratas ferculis menſas lætus eſſe, quem ſurdo verbere cædit occultum ſcelus. De Damocle Dionyſij Siciliæ Regis aſſentatore narrat Tullius his fere verbis ; cùm is Dionyſij copias, opes, majeſtatem, dominatum commemoraret ac prædicaret, negarétque quemquam hominum illo beatiorem fuiſſe, juſſit Rex Damoclem, ut ipſius fortunam experiretur, menſæ conquiſitiſſimis epulis inſtructæ aſſidere ; aderant unguenta, coronæ, incendebantur odores, lectiſſimi ephebi miniſtrabant ; aderant ſymphoniaci, nihil ut ad omnem lætitiam deſiderari poſſe videretur. In hoc medio apparatu gladius è lacunari, ſetâ equinâ appenſus, cervicibus convivæ imminebat,
qui

qui non tam fulgenti gladio, quàm conſcientiâ criminum territus, ne manum quidem porrigebat in menſam: denique exoravit regem, ut abire liceret, quòd jam beatus eſſe nollet. Nempe neque beatus, neque hilaris eſſe poteſt, cui ſemper aliquis terror impendet. Id ipſum expreſſit Horat. lib. 3. Od. 1.

Diſtrictus enſis cui ſuper impia
Cervice pendet, non Siculæ dapes
Dulcem elaborabunt ſaporem,
Non avium, citharæq; cantus.

Sed ad epulas amicorum, non aſſentatorum, qualis Damocles fuit. Amicitiæ convivium fuit, quod Joſephus prorex Ægypti inſtruxit fratribus ſuis, magnâ lætitiâ celebratum. Gen. 43. In grati & obſtricti animi argumentum uterque Tobias epulum appoſuit Raphaëli Angelo, ſub humano ſchemate & viæ ducem, & menſæ familiarem ſe hoſpitem præbenti. Tob. 12. Hoſpitalitatem & liberalitatem ſuam declaravit Abrahamus, quando tres cœleſtes Genios, ſpecie juvenum, ſumma humanitate excepit, & officioſa charitate ijs inſervivit, non ſecus, ac ſi gratiam, acciperet, non conferret. Gen. 18. Quid quòd Chriſtus ipſe non dedignatus eſt, cum

Zachæo, Matthæo, Simone, & alijs diſcumbere, & in charitatis teſſeram dapibus appoſitis veſci. Cùm igitur dubium non ſit, amicitiæ, & benevolentiæ ſingularis ſymbolum & ſignum eſſe, ſi quis tempeſtivo & frugali convivio adhibeatur, in eo nunc quæſtio verſatur, quodnam ſit illud epulum, & quomodo comparatum eſſe debeat, ut laudes ferat jucundi & tempeſtivi convivij, in quo nihil præter decorum vel fiat, vel dicatur: pertinet enim ad Ethicam hæc diſputatio, in ſympoſiacis veterum libris non parùm agitata. Martialis libro 9. Epigram. viri cujusdam, nomine *Priſci*, gravis & docti, ſuper hac re quæſtionem inducit:

Quod optimum ſit, diſputat convivium
Facunda Priſci pagina,
Et multa dulci, multa ſublimi refert,
Sed cuncta docto pectore.
Quod optimum ſit, quæritis convivium?
In quod choraules non venit.

Id eſt aulædus ſeu tibicen, qui canendo fiſtulâ aures obtundit convivantium, & ad choros ac tripudia invitat. Hoc enim genus hominum ultro ſe ſolet inferre triclinijs, & ſtridentis tibiæ ſonitu mercedulam captare, adeo ut olim etiam in funeribus canerent,

rent, & modulis triſtibus conarentur ambitioſè provocare, in pectore quidem planctus, in ore verò ejulatus; quos Servator noſter, filiam Archiſynagogi excitaturus, ædibus excedere cum turba tumultuante juſſit. Math. 9. Ego verò, ſi interroger, ecquod convivium ſit optimum, reſpondebo:

In quod Χάρις triplex venit,

Tres ſcilicet *Gratiæ*, quæ à convivio ritè adornato abeſſe non debent. Primam ego ſtatuo, *Convivatoris* ſeu *Invitatoris* Humanitatem; alteram, hoſpitis ſeu *Convivæ* Comitatem; tertiam, Decentiam *Apparatûs*; quæ omnia tanquam in exemplari, ac ſpeculo, in nupero convivio, in quo tecum, aliiſque cum bonis amicis aſſedi, exhibita fuerunt. Harum trium *Gratiarum* munera non tantùm ſpectavimus, ſed liberaliter deguſtavimus. Et quidem ad *Apparatum*, quod attinet, primò conſiderandus eſt *Locus*, cujus amænitas multùm recreat oculos, & in partem jucunditatis venit; hinc Poëta epulas laudaturus, canit:

--- *nunc viridi membra ſub arbuto*
Stratus, nunc ad aquæ lene caput ſacræ.

Hor. od. 1. lib. 1. & lib. 2. ode, 10.

Cur non ſub alta vel platano, vel hac
Pinu jacentes ſic temere
Potamus uncti?

Erat verò locus convivantium prædium ſub urbanum, omnibus villæ delicijs abundans, ſitus ipſe longè jucundiſſimus, hinc planus, & æquo pede adeundus, inde modicè ſe in clivos erigens; ex una parte latè campos & agros proſpiciens, ex alia hortum cultiſſimum in conſpectu habens; imminent per colles virides arborum ſcenæ, & gratam umbram explicant; labuntur læto murmure inter frondes limpidi rivuli, & in piſcinam truttis divitem ſe exonerant; ad radices quoque collium uvida terra ſcaturientes aquas propinat, eáſque in varias figuras per ſyphones propinat. In cæteris ſpectabilis eſt Neptuni ſtatua, tridente elemento circumfluo imperans, & ſalientes undas circum quaque aſpergens; cum claritate aquæ certat frigus, pretiúmque ſuî etiam ſine admixtione vini facit. In ipſo prædio ſunt diverſæ cænationes, omnes picturis exornatæ, quarum infima fornicata, & in ſolum depreſſa, ſolem undique excludit; media amplum triclinium continet, utrinque feneſtris illuſtratum; tertia monti impoſita, ſolem

&

& umbram jucundè temperat. In clivo montis inædificatum eſt ſacellum cum Ara, Sacrificio Miſſæ ſacratâ; parietes ſunt arborum corticibus in ſpeciem *eremitorij* (ut vocant) veſtiti. Quid multis? locus ipſe Gratiarum ſedes eſt. Jam de *Apparatu* menſario, eſcario, potorio quid dicam? ſupellex lauta, & vel probiſſimo ſtanno, vel argento polita; cibis nihil mundius, excoctius, ſapidius; vinum primæ notæ: Jupiter certè & Mercurius, ſi, ut olim, perſonati vellent terras viſere, hîc pro dignitate ſua diverſorium invenirent. Materfamilias, matrona honeſtiſſima, artis coquinariæ imprimis perita, ipſamet ſedulò & induſtriè culinæ miniſteria explet; appetitum huc illuc diſtrahit, ut inopem in copia faciat. Omnia tamen ciborum condimenta ſuperat morum ejus ſuavitas, boníque ſuper omnia vultus. Jam Paterfamilias, Inſtructor, arbiter, & Rector convivij (Græcis ſympoſiarcha) quo ſtudio, liberalitate, humanitate hoſpites excepit, quàm officioſè obviam proceſſit, ſalutavit, introduxit, & nihil intermiſit, quod primos aditus ornare poſſet. Poſtquam aqua (ex roſis eliquata) ex argenteo pollubro manibus lavandis affuſa eſt, primum fuit, ut

dapes

dapes in menſam inferrentur; exinde juxta ordinem & dignitatem convivarum conſeſſum eſt, nec morabatur carptor ſeu ſciſſor, inſtructus idoneo ad hoc cultro & fuſcinâ, ſcitè deartuare aſſa, lixa, toſta, domeſticas, ferinas carnes, & deſectas portiones per orbes diſpoſitos diſtribuere, accuratè obſervans, ne quis diſcumbentium præteriretur; eadem cura adhibita, ut, ſi Lyæus in ſcypho aut vitro fundum ſpectaret, mox illa recenti liquore replerentur. Illud in bibendo ad commendationem imitabile, quòd, ut in convivio Regis Perſarum Aſſueri factum, *non erat, qui nolentes cogeret ad bibendum*, Eſther. cap. 1. Circumibat quidem per manus *Crater philotheſius*; bibebatur in ſalutem Principum, & Amicorum, ſed temperanter & ſobriè, nam ut Siracides c. 31. *Exultatio animæ & cordis, vinum moderatè potatum.* Id etiam ab ethnicis obſervatum; nam licèt Græci, homines bibaces, in convivio, *majoribus poculis certarent*, ut inquit Tullius, Romani tamen ſobrietatis amantes minutioribus cyathis vinum infundebant, quorum viginti quatuor duos ſextarios Romanos, ſeu noſtratem menſuram unam [ein Bayriſche Maß] conficiebant. Hos ad numerum

merum quidem exhauriebant, ſed modeſtè, nec madidè repetendum, Poëta teſte:

-- Bibunt cyathos numero totidem, quot
Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili,

quæ ſeptena numerantur.

Atque ut aures quoque paſcerentur, voluptatem ijs aſperſit Muſica, non illa, quæ pluribus vocibus & inſtrumentis perſonat, ſed, quæ ſine faſtidioſo ſtrepitu canora, biciniô non vocalior, ad modulos cymbali, fidibus æneis & manubriorum clavibus excitandos. Et ne hîc quoque ſatietas offenderet, per intervalla repetebantur eruditi & jucundi ſermones, nihil omittente *domino* convivij, quod ad hilarandos hoſpites facere poſſet. Inter hæc ruſticâ quoque voluptate tenebat aures *Panis* paſtoritia fiſtula, quam per ramos arborum liquida cantantium volucrum guttura interſonabant, nec ingrato balatu oves, mugitu boves, glocitatione gallinæ, pipiendo columbę, hinniendo equorum manni diſtinguebant: cur enim ruri abeſſet hæc oblectatio? Satis ubi indultum geniali epulo, menſæque remotæ, is, qui vocavit, pro ſua humanitate gratias egit hoſpitibus quòd frui licuerit talium virorum præſentiâ, aſpectu, colloquio, familiaritate: excuſare officiosè inferiora convi-

varum

varum meritis obſequia, conditionem apparatûs (quanquam lectiſſimi) tenuare, facultatem non voluntatem defuiſſe, exquiſitiora apponendi; hoſpites viciſſim gratias referre, laudare liberalitatem, præſtantiam ciborum ac potûs commendare, devinctos ſe profiteri ad paria officia reponenda; quas inter verborum ceremonias, & civilitatem, diſceſſum eſt, priùs libato hauſtu, in honorem S. Joannis Evangeliſtæ conſecrato, nemine non illud Siracidis dictum huc applicante: *Splendidum cor* (Modimperatoris hujus) *& bonum in epulis eſt; epulæ enim ejus diligenter fiunt.* Eccl. 30. 27. Cor ſplendidum vocatur hilare & liberale: epulæ lætæ, jucundæ, honeſtæ, lautæ ſine ſorditie & intempeſtivâ parſimoniâ, quam tenacitatem ſugillat in Mancino Convivatore avaro lib. 1. Epigrammatarius

Bis tibi viceni fuimus, Mancine, vocati,
Et poſitũ eſt nobis nil herè præter aprũ.
Nudus aper, ſed & hic minimus, qualiſq; necari
A non armato pumilione poteſt.

Puta fuiſſe aprum parvum, exilem, adipis & arvinæ expertem, quadraginta convivis appoſitum, gulæ potiùs irritamentum, quàm propitiationẽ. In hos Eucliones convenit adagiũ

ex eodem Poëta ſumptum: *σῦκα μερίζει. ficos dividit*, nempe eas in partes ſecat, ut pluribus diſtribuat.

Ab Invitatore ad Invitatos veniamus. Eos Modimperator cum magno delectu adhibuit, diligentérque attendit, ne inæqualitas conditionis & morum aliquid ſimultatis, aut æmulationis pareret; pares enim jucundè congregantur cum paribus; prima familiaritatis conciliatio ab æqualitate proficiſcitur; ſimilis gaudet ſimili. Nam quæ delectatio, ſi philomelæ aſſideat graculus, & anſer ſtrepat inter olores? Quid homines moroſi, tetrici, auſteri, difficiles, inter affabiles, comes, candidos, & qui pluſculum aliquando hilaritati permittunt? qui pro tempore & loco ſciunt cum Xenocrate litare Gratijs, & ſeria liberalibus jocis temperare. Abſit à convivijs Stoicus rigor, in quibus pro condimento aſperguntur ingenui & ſinceri ſales; moderatè tamen, ne acrimonia piperis ſaporem evertat. Hîc adversùs importunos Catones locum habet illud Martialis:

Quiſquis plus juſtô non ſapit, ille ſapit.
lib. 14. Epig.

Macrobius libro 7. ait, ſic apud menſam philoſophandum eſt, ut crateres liquoris ad læ-

titiam

titiam nati adhibeantur, non modò Nympharum, ſed Muſarum quoque admiſtione temperentur. Provida ergò cura Rectoris convivij fuit, nôſſe, qui ſint ſociandi. Id jam olim Chilon Philoſophus apud Plutarch. in Convivio, obſervavit, *qui ad cœnam non antè condixit, quàm nôſſet convivarum nomina; dicebat enim, quibuſcum neceſſe eſſet unà navigare, aut militare, eorum etiam moleſto comitatu ac contubernio utendum eſſe: ultro autem qualibuſcunque ſe admiſcere convivis, non eſſe ſani hominis.* Id quoque Lex convivij obſervatè curavit, ne numerus invitatorum juſtò major eſſet. M. Terentius Varro cenſuit, convivas inter Gratiarum & Muſarum numerum oportere conſiſtere, ne aut plures ſint novem, aut pauciores tribus; plerumque namque accidit, ut in frequentia epulantium aliquid jurgij, tumultûs, aut diſcordiæ oriatur: deinde ob multitudinem hoſpitum compreſſiùs ſedendum eſt, non citra gravem moleſtiam. Horatius id queritur epiſt. 1.

Sed nimis arcta premunt olida convivia capræ.

Et vulgò tritum:

Dimidium paſtûs, qui bene ſedit, habet.

Præ-

Præterea, non ſatis tutum eſt inter multos, ne ſint, qui *dicta forâs eliminent*; ne feſtivi lepores & ingenui ſales in ſcommata & dicteria abeant; ne obtrectationes, ſuſpiciones, captiones verborum cum poculis per menſam ambulent; ne tendiculæ ponantur germano candori & ſinceritati, unde Mart. l. 1. ep. 25.

Μισῶ μνάμονα συμπόταν.

Odi memorem compotorem.

Inſuper, ubi multi convivio interſunt, facilè invitationibus & propinationibus accenduntur linguæ & animi, ut diſſonus clamor exurgat, & triclinium migret in forum, confuſa loquacitas obturbet capita, cerebrúmque evertat:

Facundi calices, quem non fecère diſertum?

Accedit, quòd poſt verba parùm ſobria invaleſcat certamen potantium, & alter alterum laceſſat ad vitream pugnam. Horatius:

At, ne quis modici tranſiliat munera Liberi,
Centauréa monet cũ Lapithis rixa, ſuper mero
Debellata.

Idipſum jam antè cavendum dixit Siracides c. 31. v. 40. *Ebrietatis animoſitas, imprudentis offenſio, minorans virtutem, & faciens vulnera.* Audaciam enim parit ebrietas, inde præcipitantia mentis, & calor ſan-

guinis è vino efferveſcentis, unde imprudentia, offendicula, rixæ, vulnera, cædes. Propterea Salomon in Proverbijs cap. 15. v. 17. *Melius eſt, vocari ad olera cum charitate, quàm ad vitulum ſaginatum cum odio.* Satius eſt, majoríſque voluptatis & jucunditatis, excipi oleribus & frugali cænula cum charitate, amicitiâ, benevolentiâ, quàm magno apparatu vitulorum & epularum cum periculo diſſenſionis, contentionis, diſcordiæ. In doloſo convivio expertus eſt Amnon fraterna odia; ab Abſalone trucidatus, ad inferos ebrius deſcendit. Nihil talium turbarum in noſtro convivio, tum quia ij, qui erant invitati, numerum non exceſſerant, tum quia erant à ſobrietate & virtute commendati; quales requirit Eccleſiaſticus c. 9. v. 22. *Viri juſti ſint tibi conviva.* Probitas, ſapientia, morum facilitas conciliet tibi amicos, quos ad epulas invitatos cupis; qui peregrinas lautitias non affectent, aut ſiquid minùs ad ſtomachum, non corrugent nares, & cenſorio ſupercilio prodant delicatam gulam. Noſtri convivæ eâdem modeſtiâ, quâ acceſſerunt, recedebant, & collaudatis, quod ſuprà memini, heri, heræ, & famulantium officijs ac obſequijs, relicto ijs honorario argento, poſt repetitas gra-

gratias domum conceſſerunt, ſaturi quidem, ſed non graves dapibus, ad Ariſtotelis mentē, qui dicebat, *convivam neque ſitibundum, neque temulentum debere è convivio abire.* Ignoſce, ſi prolixior fui in prolixa liberalitate, & beneficentiâ noſtri Convivatoris prædicandâ. Exemplum habeo in Plinio, qui lib. 2. epiſt. *villam Laurentinam* pluribus deſcripſit & laudavit. Neque argumentum de convivijs fuit excludendum ab *Ethica Epiſtolari*, cùm & Salomon in *Proverbiis*, & Siracides in *Eccleſiaſtico*, multis perſequantur præcepta, quæ ad converſationem convivalem ſpectant. Vale, & hoſpitatori noſtro, quas ego non poſſum, tu redde vices.

XXXV.

ADOLPHO TURIONO

Cur magnorum virorum filij non rarò ſint degeneres.

CONvenerant nuper amici quidam noſtri, quorum conſuetudine ob eruditionem cumprimis delectamur, in Muſéo Cornelij Fuſci, viri probi & ſapientis: aderam ego quoque; te, quò minùs intereſſes, negotia diſtine-

bant publica. Ibi,pro more inter nos uſitato, erotéma,ſeu quæſtio Academica, propoſita eſt diſceptationi, eccur non infrequenter fiat, ut virorum præſtantium filij à paterna virtute ac pietate degenerent; matrum verò veſtigijs, quandocunque impreſſis, tenaciùs inſiſtant, quàm patres vellent. Obſervatum à ſcriptoribus, ex probo patre ſæpius improbos prodire filios, & probos etiam ex improbo; vix tamen unquam ex matre moribus corruptâ prolem exiſtere incorruptam. Dignum thema diſputatione; à qua cùm te curæ forenſes abſtraxerint, petis pro amicitia noſtra, ut hoc obſequij tibi præſtem, &,quæ fuſiùs diſputata ſunt, in compendium contracta, tecum per epiſtolam communicem. Quia ſimili officiorum genere dudum me obligâſti,non potui huic tuo deſiderio deeſſe; perſcribo, quæ memoriæ hæſerunt, ſuccinctè tamen, ne novam diſputationem ordiri velle videar. Exordium diſſertationis hoc fuit. Conſtare è Veterum ſcriptis, præſtantium virorum filios multùm à progenitorum moribus deflexiſſe. Ejus rei inter alios gravem teſtem eſſe Ælium Spartianum, qui in *Severo* Cæſare multis exemplis declarat, quaſique fato quodam accidiſſe affirmat, ut viri,ſeu litteris, ſeu fortu-

næ

næ indulgentiâ inſignes, aut nullos omnino liberos habuerint, aut tales reliquerint, ut magis ex uſu rerum humanarum fuerit, illos abſque liberis decedere. Unde adagium fluxit:

ἀνδρῶν ἡρώων τέκνα πήματα,

Heroum filij noxæ.

Et vulgato dicterio fertur: ex ſapientiſſimis patribus fatuos propagari liberos. Exemplum è plurimis eſt Salomonis ſapientiſſimi Regis filius ſtultiſſimus Roboamus, de quo Eccleſiaſticus c. 47. v. 27. *Et dereliquit* (Salomon) *poſt ſe de ſemine ſuo gentis ſtultitiam.* Non contentus fuit Sacer Scriptor, eum ſtolidum & vecordē appellare, ſed ipſius ſtultitiæ nomine inſignivit. Quid ipſe Salomon? an non parentem habuit Davidem, virum omni virtute ornatum? filius qualis? docet liber 3. Reg. c. 11. *Depravatum eſt cor Salomonis per mulieres, ut ſequeretur Deos alienos.* De eodem Siracides c. 47. *Dediſti maculam in gloria tua, & profanâſti ſemen tuum*: quid turpius, quid probroſius? adeò deſcivit à paternis laudibus Salomon, ut macula familiæ Davidicæ & ſummum dedecus eſſet. Inter degenerantium exempla, in SS. litteris etiam ponuntur Samuelis filij, peſſima parentis optimi propago. Quid, quòd primus pater, è pa-

radiſo trahens originem, filium habuit peremptorem fratris, & nobiliſſimum ſanguinem parricidali manu fundentem. In concontrarium ex ſcelerato parente natus eſt optimus filius, Ezechias ex Achaz. Sed hîc quoque matris pietas correxit patris impietatem; Ezechias, quòd bonus eſſet, parenti ſuæ debuit, *Abi* nomine, quæ filia Zachariæ Martyris 4. Reg. 18. neptis Pontificis Joiadæ, viri integerrimi. Sed ad cardinem diſputationis, qui in eo vertitur, ut explicetur, quare non perinde probitas è paterno ſanguine, quàm materno fluat lacte? Diverſæ opiniones ſunt in medium adductæ: erat, qui hanc matrum in liberos morum transfuſionem putaret adſcribendam lacti, quod illa ſuis ex uberibus infanti propinat; cum hoc non corporis modò vitia, ſed etiam animi imbibi; imbibita hærere pertinaciter, nec facilè aboleri poſſe liquorem, huic teſtæ recèns infuſum. Aqua fætorem redolet ſulphuris, per cujus venas tranſit: & quoniam natura in fontibus & fluvijs tam mirabiliter operatur, ut quædam aquæ candorem, aliæ nigrorem inducant; quædam bibentes effeminent, quædam faſtidium vini adferant, & pravas cupiditates ſedent; quædam hebetudinem cre-
cent,

ent, aliæ ingenium acuant; cur non perinde ex rore matris lacteo diverſi effectus dimanent? ita ut quidam ex uberibus penduli ſobrietatem inde ſugant, alij vinolentiam; quidam iracundiæ, alij libidinis ſemina inde ſibi fluxiſſe, ſerò experiantur: quis non Reipublicæ vel mala, vel bona in primos infantum ſuctus referat? Dion Græcus l. 2. crudelitatem Caligulæ imputat nutrici ejus, quæ papillas ſanguine illinere ſolebat, unde ipſe in tantam ferociam evaſit, ut jam adultus ſanguinem è Cæſarum cadaveribus ſtillantem avidè lingeret, optarétque unam cervicem populo Romano eſſe, quam unico ictu demeteret. Agrippina Neronis mater partum edidit ſuis libidinibus parem. Antoninus Caracalla Imp. quamvis ſæviſſimus, non legitur, magnum Chriſtianis negotium faceſſiviſſe; Cauſam putat Baronius ad annum 217. quòd è nutrice Chriſtiana lac ſuxerit. Tantum in utramque partem refert, quibus è papillis biberit infans. Tartari, ut infantes ſuos pugnaces reddant, eos lacte canino alunt. Achilles, quòd habuerit ſtomachum cedere neſcium, cauſa fuit educatio, nam Chiron Centaurus ejus altor, dicitur, cum loco lactis leonum & aprorum viſceribus paviſſe. Tiberius

rius Cæſar, ob bibacitatem *Biberius* dictus, potandi conſuetudinem ex ebrioſa nutrice traxit. Illud ridiculum, quòd vir quidam religioſus & gravis in Hiſpania, ſcribitur, remotis arbitris in morem capreæ ſaltitâſſe, ejúſque rei cauſam fuiſſe, quòd lacte caprino nutritus eſſet. Unde conſtat, quid poſſit in fœtum materni lactis humor. Pro confirmatione, ab hædis ſimilitudo adducitur, qui, ſi ovium lacte alantur, pili tenuiores ijs gignuntur, & agnis, lacte caprino paſtis, duriores villi creſcunt. Ex quibus concludebatur, juvenibus, ambientibus ſponſas, valde inquirendum eſſe, non tam, an illæ ſint opulentæ & pulchræ, quàm num ſint caſtæ, honeſtæ, virtute præditæ; nam etiam hîc verum eſt illud Juriſperit. *Partus ſequitur ventrem.* Plutarcho teſte Spartani continentes fuerunt, fortéſque in bellis & laboribus, quia matres habebant viragines, quæ ex inſtitutione Lycurgi, continentiæ, laboribus, duritiei, tam ſe, quàm proles aſſuefaciebant; unde quædam ex ijs exprobranti, *Vos Spartanæ ſolæ veſtris viris imperatis*, reſpondit, *quia ſolæ viros parimus.* Secus accidit apud illas gentes, ubi vitioſa vel natura, vel inſtitutio prolem corrumpit; nam ut Juvenalis canit

Scili-

Scilicet exſpectes, ut tradat mater honeſtos
Atque alios mores, quàm quos habet.

Finierat hæc & plura *Sympertus* (nam ſic vocabatur) qui in illo conventu primas dicendi habebat, cùm *Fauſtinus*, rectè, inquit, diſſeruiſti, Symperte, quòd malitiæ bonitatíſque cauſam è lacte materno derivâſti: quòd verò etiam educationis memineris, meritò probatur à viris ſapientibus, qui primæ inſtitutioni ſequentis habitum ætatis aſſignant; quæ cùm à teneris unguiculis penes matres ſit, quid ab illis raſæ tabulæ nō imprimetur? quid non poterunt exempla, ex quotidiana conſuetudine in oculos & aures ingeſta? Ab exterioribus conijciamus interiora; nam ſi prima ætas motus, geſtus, inceſſum, loquelam matrum in tenero corpuſculo referat; quid non mentibus ipſis inſcribetur? Primum faſcinum in puſionem emittunt matres ex oculis nimiùm blandis & indulgentibus; benignior aſpectus non ſemper eſt indicium benefici ſideris, ſed nocituri; creſcit hinc paulatim licentia, roboratur petulantia, & adversùs domeſticos inſolentia. Officium ſe credit feciſſe mater, ſi puerulum ab ipſis cunabulis ad civiles quaſdam elegantias inſtituit, virtutis autem culturam ſupra annos eſſe putat. Teſte

Quintiliano, mollis educatio vires animi, corporíſque frangit; emaſculantur mollitie viriles ſpiritus, ſæpéque, quos genitrix non enervat, nutriculę depravant. Hi primæ ætatis hauſtus tantò avidiùs imbibuntur, quantò tenerior eſt affectus feminarum, hujus mellis pincerna; matrum enim in prolem amor longè eſt vehementior, quàm patrum: recordatio laborum, quos illæ in pariendo & nutriendo exantlârunt, omnia edulcat, cùm ſciant, à ſe diligi, quos ſciunt eſſe ſuos; hoc quia non pari certitudine conſtat patri, hinc mutuus filiorum in genitricem amor, affectuum quoque & indolis major ſimilitudo exiſtit. Ipſa ſeveritas, quæ decet patrem, aliquid de teneritudine amoris reciproci decerpit. Intellexit hoc Seneca: *Nonne vides*, inquit, *quantò aliter matres indulgeant? patres excitari jubent liberos ad ſtudia obeunda maturè; feriatis quoque diebus non patiuntur eſſe otioſos, & ſudorem illis, interdum etiam lacrimas excutiunt. At matres fovere in ſinu, continere in umbra volunt, nunquam flere, nunquam triſtari, nunquam laborare.* Lib. *quare bonis mala accidant.* Et hæc eſt pernicies ac corruptela, quæ generoſos animos infringit, nec ſinit præclarum aliquid moliri.

Et

Et quis ferat, pueros in gynæconitide educatos, tamdiu muliercularum conſuetudine uti, ut in contubernium virorum ſerò emiſſi, ægrè à mollibus ad duriora aſſuefieri queant? Achilles, ne ad bellum Trojanum proficiſci cogeretur, habitu puellari à matre tectus, in gynæceo filiarum Lycomedis Regis aliquamdiu enutritus eſt. Ulyſſes, ut dolum detegeret, ſpecie mercatoris merces quaſdam mundi muliebris puellis regijs expoſuit; iſtæ ſtatim curioſos oculos in illa crepundia inijcere, armillas, ſpecula, monilia manibus verſare; Achilles contrà perſonatus, clypeos venales attrectare, caſſides aptare capiti, vibrare enſes, & lateri accommodare. Quo indicio marem ſe oſtendit, & ad bella idoneum, id quod poſtea egregijs facinoribus præſtitit: agnoſceres hinc *Heroum ſanguinem.* Secus faciunt multi, quos fruſtra ſperes, nomen & genus avitum propagaturos; in ipſa pueritia virtus eliſa eſt; denique cum dedecore experitur familia, è generoſis aquilis imbelles fuiſſe generatas columbas. Propone eis pectines & calamiſtros ad cincinnos criſpandos; exhibe ſpeculares orbes, ad veſtes & ora contemplanda; annulos & chirothecas fimbriatas objjce: involabunt, libros conſpuent, gladios horre-

horrebunt, ad ludos equeſtres totis artubus contremiſcent. Finierat hæc *Fauſtinus*, cùm *Caſtorius* cœpit loqui, & degenerem filiorum indolem patrum incuriæ ac neglectui imputare: itâ enim ferè contingit, ut viri doctrinâ, conſilio, virtute præſtantes negotijs publicis occupentur. Magnam ab eis vitæ & curarum partem exigunt Principes, Curiæ, Aulæ, lites forenſes, legationes, provinciarum & Reipublicæ adminiſtrationes, quibus abrepti vix temporis aliquid ad privatam filiorum curam reliquum habent; negotiorum varietate & mole obruti, faſtidia ſecum referunt domum. Jam ſi etiam ſuis ſub tectis non inveniunt quietem, & accedant uxorum querelæ, liberorum improbitates, famulantium negligentiæ & pervicaciæ, quid hæc aliud ſunt, quàm irritamenta impatientiæ, iræ, exacerbationis animorum? Quàm enim moleſtum eſt, poſt publica Judicum ſubſellia, privatum domi tribunal erigere, cauſas audire domeſticas, reprehendere reos, monere, minari, objurgare, plectere? hoc equidem eſt, in perpetuo quaſi molendino circumagi, & vitæ nulla jucundiore parte frui. Quid ergo? removenda è conſpectu tædiorum

rum cauſa, & moleſtum onus in aliquem pædagogum inclinandum; ei pignora committenda, ei vices Judicis & Patris imponendæ, ut ſuppleat munus educationis, & effrænem pueritiam in gyrum rationis ducat. Quid inde? jam vivunt extra metum parentis filij; jam petulantes hædi ſub cura paſtoris ſunt; ſed qualis? mercenarij: pecunias accipit, mores non corrigit; piget ipſum paulatim laboris, &, quia herus ſæpius ſtabulum inviſit, ut videat, quàm nitidi, quàm bene curati equi; Muſeum, in quo deliteſcit cum diſcipulis pædonomus, tanti non facit, ut inſpiciat: quid mirum, ex hac cultura non tam flores, quàm urticas enaſci? Si oculus Domini ſaginat equum & bovem; quid fiet filijs, patris inſpectione deſtitutis? Hæc & plura Caſtorius in neglectum paternæ curæ congerebat; quæ mihi, compendium diſputationis pollicenti, conditio epiſtolæ & deſiderij tui longiùs extendere non licet. Puto, me petitioni tuæ ſic reſpondiſſe, ut pro tua ſapientia facilè conijcias, quæ trium horarum ſpatio in hoc Exercitio Academico circumſcripta fuerunt. Si præſens fuiſſes, credo, ruborem duxiſſes, cùm audiſſes, etiam hodie viros inſignes

ſignes exiſtere, qui heroicum ſanguinem, à Majoribus quaſi hereditate quadam in ſe derivatum, ſtrenuè propagârunt; quam laudem familiæ tuæ ſine invidia tribuendam eſſe, quidam Diſputatorum non obſcurè indicabat, me ultro favente, & encomium amplectente. Vale, & filios tuos, egregios adoleſcentes, perge ad amplas ſpes, & tuo genere dignas educare.

XXXVI.

LAMBERTO LUNOVIO

NOVO PATRIFAMILIAS

Regulas Oeconomicas.

ETſi præcepta Ethica plus habent momenti & ponderis, quæ claris ab auctoribus ſunt poſteritati commendata, qualia continentur in Proverbijs Salomonis, & ſententijs Siracidis; tamen ut magna ſæpe ſapientia tenui involvitur palliolo, & ex ligneo quoque tripode panduntur oracula, ſic *Dicta* quædam *meliora* ex vulgi uſu circumferri, & ſapientum quoque commentarijs inſeri videmus. Inter cætera adagia, ex

ex communi ſenſu profecta, illud eſt, quòd paulò pòſt exponam, ſi priùs gratulationem præmiſero, quâ conjugium recèns initum, tibi feliciter & fortunatè evenire juſſero, & auſpicatum Hymenæum cæptis favere ſecundis. Sponſam duxiſti probam, pudicam, liberalis formæ, virtutis raræ; quâ quid in thalamos optatius inducere potuiſſes? Inſtruxiſti domum neceſſaria ſupellectile, officium in Repub. nactus es honorificum & fructuoſum Sed quia non minoris eſt artis, poſſidenda parare, quàm poſſeſſa tueri, quæris ex me, ut quando in recta adminiſtratione œconomiæ plurimùm eſt ſitum, ad opes tum pariendas, tum partas conſervandas, quid tibi pro brevi in huncuſum regulâ ſuggeram, ut induſtriè & cum incremento familiæ rationes tuas ineas, & numeros omnes boni patrisfamilias impleas. Si vellem te per præcepta Ethicæ Philoſophiæ circumducere, non deeſſent libri integri, ex quibus tanquam fontibus haurires hoc genus Inſtitutiones, & diſceres, quibus artibus liceat honeſtè ad opes pervenire; ſed quia non vacat tibi, novis matrimonij curis impedito, per longa præcepta ire, tribus verbis expediam, quod vulgi quidem ſenſu, ſed non vulgari

gari veritate, indicatur: ſcilicet patrifamilias rem augere cupienti tria obſervanda eſſe: *Pocula, Loculos, Oculos.* Per *Pocula*, ſobrietas, per *Loculos* parſimonia, per *Oculos* diligentia intelligitur. His tribus tu ſi rectè ſciveris uti, promitto, Proſperitatem ipſam tuis tectis ſucceſſuram, & dominum domûs beaturam. In *poculis* attendendum, ne quid immoderatè fiat, & cum Lyæo exhauriantur opes, non augeantur; largior vini uſus, non menſas tantùm, ſed totas domos, fundos, & prædia evertit. Diogenes Philoſophus conſpicatus ædes hominis ebrioſi venū propoſitas, minimè dubitabam, inquit, quin hic homo, qui adeo ſe liberaliter ingurgitabat, tandem poſt crapulam etiam domum evomeret. Salomon monet, Prov. 21. *Qui diligit epulas, in egeſtate erit: qui amat vinum & pinguia, non ditabitur.* Exempla docent, eos qui ſympoſijs delectantur, ad extremum premi inopiâ & egeſtate. Et hic eſt ille coluber, de quo idem Salomon Prov. 23. *Ne intuearis vinum quando flaveſcit: ingreditur blandè, ſed in noviſſimo mordebit, ut coluber.* Sera nimirum eſt pœnitentia, quam relinquit evacuata crumena; morſus ſuos infigit, & pecunia

per

per ſcyphos transfuſa fruſtra quæritur in capillis. Poſt lætitiam brevem apparent combibonum ora, velut horrida ſpectra, & excruciantia corpus & animum tormenta, qualia ſunt, Inanitas marſupij, Perturbatio in cerebro, Jurgium cum uxore, Jactura temporis, Rei benè gerendæ neglecta occaſio, Faſtidium laboris, Hebetudo mentis in negotijs peragendis, Aculei conſcientiæ, Exactor debiti; de quo Poëta Satyricus Juven. ſat. 6.

Multos porrò vides, quos ſæpe eluſus ad ipsum
Creditor introitum ſolet exſpectare macelli.

Neque ſolùm lanius terribilem viſu formam objicit; piſtor quoque ſolutionem urget, & imprimis œnopola truci vultu ſymbolam repoſcit. Quid inter hæc debitor? Oppignorando & vendendo paulatim domum ipſam evacuat, & licèt eam everrat ſcopis, vix tamen teruntium invenit. Huc patremfamilias deducunt pocula crebriùs exhauſta, juxta antiquum verſiculum:

Gutta cavat lapidē, non vi, ſed ſæpe cadendo:
Vina cavant Loculos, non vi, ſed ſæpe bibendo.

Gnavus & ſobrius rei ſuæ curator ſentit è contrario, lucrum occultò fœnore ſibi creſcere, & tacitis incrementis auctiores reddi fortunas;

tunas. Et hæc de *Poculis.* In *Loculis* non minùs oſtendit prudentiam ſuam Oeconomus, & divitias, non tam multa accipendo, quàm rectè expendendo colligit; deſignant enim loculi frugalem parſimoniam, non ſordidam tenacitatem, & ſtrangulatæ in arca pecuniæ funus, quale Comicus exagitat in *Euclione*, qui præciſos colligebat ungues, & noctu obſtringebat gulam, ne anima exiret; nam & huic timebat, ne pluſculum exhalaret per ſomnum. Apage te cum hac turpi parcitate, quæ, inimica genio humano, defraudat etiam pecora dimenſo. Audi Lyricum:

Nullus argenti color eſt ---
Niſi temperato ſplendeat uſu.

Tractandi manibus ſunt nummi, & contactu nitor argento addendus; ſecus æruginabit, aut ſuffodietur à furibus. Parſimonia virtus eſt, non ſtupida & ignava; novit uti nummis, ſed in utilitatem, in vitæ commoda, in honeſti & decori rationem; non minùs abhorret ſordes, quàm vitat luxum; non negligit neceſſaria, ad ſuperflua ſe non extendit; lautitias non affectat, deſideria reſtringit; indigentia eſt ei pro menſura, ſed liberali, & quæ avaram cupiditatem excludit;

dit; ſcit ſervare modum, & illud Horatianum tenere Lib. 1. ſerm. Sat. 1.

Neſcis, quid valeat nummus, quem præbeat uſum?
Panis ematur, olus, vini Sextarius: adde,
Queis humana ſibi doleat natura negatis.

Quaſi diceret: ſcíſne, quæ utilitas ſit pecuniæ? ad quid nummi ſerviant? non ad luxum, faſtum, delicias, curioſitates & nugas; ut uxor veſtibus ſuperbis incedat, ut ſumptuosè ædifices, hortos inſtruas, peregrinas aves in cavea alas, ignoti maris piſces compares; ſed ut ematur panis, ut provideatur familiæ de neceſſario & honeſto victu; ut olera non excludantur è menſa; vinum apponatur, non in capacibus cirneis & congijs, & decumanis ſcyphis, ſed in minoribus vaſculis, ſeu cyathis, quorum deni conficiunt ſextarium, biboni uno tractu exhauriendum; paratus ciborum non appetitu gulæ, ſed naturæ deſiderijs metiendus. Horat. l. 2. Od. 16.

Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in menſa tenui ſalinum,
Nec leves ſomnos timor, aut Cupido
Sordidus aufert.

Non opus eſt pretioſa ſupellectili; non aba-

cis argento plenis ; non lancibus & pateris meliore de matallo factis ; ſatìs ſit tibi ſalillum ex paterna hereditate relictum, & Jovi hoſpitali ſacratum ; in hoc ciborum condimentum, & obſonia, & menſæ ſecundæ, bellaria ac tragemata inferantur. *Bene eſt, cui DEUS obtulit, parcâ, quod ſatis eſt, manu.* Hæc via ducit ad opes ; hæc parat opes. Magnum vectigal parſimonia, ait Tullius : ſic additur nummus nummo ; ſic locus eſt carmini Ovid.

Contrahe de multis, grandis acervus erit.

Et Heſiodi :

Adde parū parvo, parvo ſuperadde puſillum,
Fiet & hoc magnum, infelix pelletur egeſtas.

Et hæc de *Loculis*, ac moderandis expenſis. Jam ad *Oculos* quod attinet, conſtat, inter ſymbolicas imagines *Oculum* cenſeri ; eſt enim ſignum *Vigilantiæ* & *Diligentiæ* ; illa repræſentatur per leonem, apertis *Oculis* dormientem ; hæc per hominem, tubô opticô propiora & remotiora inſpectantem. Eſt enim boni & induſtrij patrisfamilias, *Vigilantem* & *Diligentem* eſſe ; induſtriæ hæret diligentia, diligentiæ vigilantia. Officium heri eſt, crebriùs interviſere tam domeſticos, quàm operas conductitias, an quiſ-

que

que agat, quod debet, & quomodo: nam, ut communi verbo dicitur, *Oculus Domini eſt ſagina equi*; inſpiciendum, an jumentis ad onera ferenda, & pecoribus ad cultrum deſtinatis obſipetur temporibus ſuis pabulum; an proficiant habitudine corporis animalia, ſive domi, ſive foris paſta. Ejusdem eſt numerare pecus, ne quod caput ex grege deſideretur. Subtimuit oculum heri & heræ paſtor ille, qui apud Virgilium, *eclogâ* 3. invitatus ad canendum, & pignus in certamine ponendum, cecinit:

De grege non auſim quidquam deponere tecũ:
Eſt mihi námq; domi pater, eſt injuſta noverca,
Bíſque die numerant ambo pecus, alter & hædos.

Eſt enim non *pauperis tantùm, numerare pecus*, ſed induſtrij patrisfamilias, vigilanti oculo in rem præſentem venire, & ad incrementa ac detrimenta ſua oculatum eſſe. In domeſticos quoque hic oculus arbiter erit; nũ ſtatis horis ſurgant, & cubitum eant; num otio & ſocordiæ ſe dedant; num perfunctoriè, & levi, ut ajunt, brachio opera ſua peragant. Quod in horologio eſt tinnulus monitor, quem *ſuſcitabulum* vocant, hoc eſt

herilis oculus in domo, excitat ceſſatores. Huc facit Plautus in Rudente:

---- vigilare decet hominem,
Qui vult ſua tempori conficere officia:
Nam qui dormiunt libenter, ſine lucro
Et cum malo quieſcunt.

Imputet ſibi ſua damna paterfamilias, qui magis auribus habet fidem, quàm oculis; ſi quid effectum velit, mandet ſibi. Id docet apologus, quem bona tua cum venia narrare liceat; cùm enim epiſtola ſit ſermo abſentis ad abſentem, ſequitur, quidquid in ſermonem cadere poteſt, etiam in epiſtolam cadere poſſe. Erat paterfamilias, qui rerum ſuarum minùs ſatagens, & non nunquam obliviosſus, ædiculam gallinariam non obſervavit. Vulpes, ſtimulante gula, in popinam hanc clanculum perrepſit, & non ſolùm convivam, ſed lanionem & cocum egit, lautiſſimámque ſibi paravit cœnam, gallinas ad unam omnes jugulavit. Paterfamilias manè reviſens ad gallinarium, mera invenit funera, non ſine iracundo luctu: hinc cani graviſſimè indignatus, ut cuſtodi negligentiſſimo, plagis etiam multavit ignavum excubitorem. Canis acceptâ injuriâ factus audacior, & patrifamias inſul-

tans:

tans: ſi tu, inquit, mi here, cui pullaſtros & ova dant gallinæ, neglexiſti oſtium occludere, quid mirum, ſi ego, qui nihil commodi è gallinis capio, aliquantulum obdormierim, & ita venientem vulpem non ſenſerim. Opportunè. Debuit officium herus à cane diſcere; negligentia patrisfamilias in caput ipſius recidit; defuit oculus vigilans. Si cuſtodiam gallinarij ſervatam voluiſſet, cuſtodem ipſum viſitare debuiſſet. Oportet igitur oculeum eſſe patremfamilias, & quaſi quendam *Argum*, qui, tametſi centoculus, non ſatìs tamen vigilavit, & cavit, ne à Mercurio deciperetur. Quod dum moneo, nolim in alteram partem peccari, nimiâ erga domeſticos diffidentiâ & ſuſpicione, quæ non raró *eſt nequam*, & minuit alacritatem, dum putidiùs inquirit in fidelitatem. Hæc tria ex Oeconomicis præcepta, quia tibi ab ipſa virtute ſunt inſita, non indiges mea exhortatione; ſpero tamen, hanc epiſtolam tantò tibi fore gratiorem, quantò naturâ duce incitatior es ad laudem, & didiciſti, ſine ſtimulo ad honeſtiſſima quæq; procurrere, ſobriéque, frugaliter, ac cum induſtria vigilantia vivere. Vale, &, quod his litteris non tam tibi, quàm alijs in contra-

ria vitia nitentibus, perſuadere contendo, crede, rei te familiaris in crementa haurire ex *poculis*, geſtare in *loculis*, conſervare in *oculis*.

XXXVII.

REMIGIO PONTICO,

Ejúſque uxori

SABINÆ,

Salutem & pacem in Chriſto.

ACcepi geminas eodem tempore epiſtolas, unam à te, alteram à tua conjuge ſcriptam; uterque me quaſi fecialem conſtituit, pacis inter vos conciliandæ. Legi attentè veſtras litteras, querelarum plenas; alter in alterum diſcordiæ culpam confert, & accuſat conſortem, non magiſtori, quàm criminis; mihi tum quidem incidit ille ex Homero verſiculus:

Iliacos intra muros peccatur, & extra.

Quando verò ſic vultis, ut me arbitrum interponam veſtro diſſidio, liberè pronuntiabo meum ſenſum, & ſine palpo utrique aperiam,

periam, quid emendandum putem; propterea cupio, ut in præſentia conjugis reſeres hanc epiſtolam, eique inſpiciendam legendámque præbeas, quò videat, me ſincerè agere, & jure poſſe uſurpare illud Jovis, ſupremi Latinos inter & Troianos Judicis.

Tros, Rutulúſve fuat, nullo diſcrimine habebo.

Alteram aurem tibi, alteram uxori vacuam concedam: ab *Ovo* tuam accuſationem repeto, cujus caput eſt, uxorem quidem eſſe tibi gnavam & induſtriam, ſed pervicacioris cerebri, & duræ cervicis ad parendum; affectare imperium domeſticum, velle haberi dominam, tanquam Junonem aliquam, quæ, cum Jove non contenta dimidium imperij tenere, totum illud ſibi vindicet, parùm memor ſubjectionis & reverentiæ, quæ marito debetur; juſſa tua contrarijs juſſibus apud familiares evertere, importunè interpellare loquentem; oppidò linguatam obſtrepere monenti; affirmare, quæ negas; negare, quæ affirmas; tua dicta & facta perſtringere, etiam apud alios traducere; in faciem quoque reſiſtere, ad jurgia paratam, niſi cedas ipſe, & tacitus eam verborum inſolentiam tranſmittas; ex hac patientia creſcere ipſi audaciam, & contradicendi liberta-

tem; quotidie acerbius iſtud conjugium,imò ſervitutem reddi; faſtuoſum mulieris genium nullis remedijs emendabilem videri. Quæris, quid conſilij? Antequam reſpondeam, audiamus & alteram partem. Illa viciſſim conqueritur hæc. Se non tam in conjugio, quàm in jugo vivere; adverſis nuptam avibus, quæ virum ſibi junxerit moroſum & tetricum, & nimiùm ſua jura extendentem; omnia ad ſuum nutum exigere,unicámque Oeconomiæ regulam, prudentiam propriam ſtatuere; uxorem nullius conſilij participem facere, quæ ſi vel verbulum interijciat erroribus variè commiſſis,in ijs etiam rebus, quarum matresfamilias non ignaras eſſe decet, ſtatim juberi faceſſere, & ad colum ſedere; vocari ſuperbam, arrogantem,ſi non continuò, velut muta ſtatua, digito ori impoſito, Angeronam deam repræſentet; parvum inter ipſam & ancillas diſcrimen intercedere; imperioſo vultu ad vilia quoque miniſteria amandari; auctoritatem ſuam magis & magis vileſieri, exiſtimationem minui; quam ſi modeſtè tueri velit, mox audire linguaculam, & odioſum crepitaculum,cui os pice obſtruendum; loqui ſicut unam ſtultarum mulierum, mentis

tis & rationis inopem; in veſtibus & capillis totam ſapientiam circumferre; ejus faſtum nimio tibi impendio conſtare; ad hæc reſponſare præfractè, & cauſam vitæ ſibi decurtandæ exiſtere; ſubjectionis & reverentiæ conjugalis adeo oblitam, ut præeſſe potiùs, quàm ſubeſſe cogitet; dudum ſibi gravem eſſe in oculis hanc Junonem; ſe tandem daturum ſtrenuè operam, ut hic pavo, præciſis alis modeſtiùs de ſe ſentire, & ad obſequia promptiùs flecti diſcat. Quæ quidem, aliáque convitia tunc liberaliùs in ſe effundi, quando pluſculùm appotus & vino calefactus æſtuantem bilem in ſe palàm exoneras. Hæc & plura uxor. Auditis utriuſque querimonijs, putem ego, hanc litem facilè componi poſſe, cùm domeſticæ potiùs offenſiunculæ, quàm inteſtina dſſidia videantur. Habet hoc ſtatus conjugalis (& quis non alius?) ut uberem patiendi materiam ſubminiſtret. Quiſque ſuos patitur manes, ſuáque perſentiſcit onera. Antiquo verbo quæritur: *Quid eſt Vita conjugum?* reſpondet echo: *Jugum*. Hoc ſubeundum eſt, cuicunque placuerit matrimonium inire; ſi quid in eo ſtatu voluptatis, multis è ſpinis ſunt legendæ roſæ; jungere

gere ſe connubio, eſt, duro ſe adſtringere vinculo, nullâ niſi extrema die ſolvendo. Curſus eſt matrimonium, pari labore & tolerantiâ trahendus. Maritus trahit, dum multiplices curas intendit, ut uxori, liberis, familiæ provideat de victu, veſtitu, & honeſta educatione; uxor trahit, dum multa cum difficultate liberos parit, enutrit, ad firmiorem ætatem perducit; quid dicam? quotidianas moleſtias alter alteri creat, & devorandas objicit, præſertim cùm diſpares ſunt moribus, genio, naturâ. Sæpe *Mopſo Niſa datur*, viro moroſo, tetrico, ſtomachabundo puella hilarioris animi & amœnioris indolis; viciſſim Abigaili alicui, prudentiâ, comitate, morum placiditate inſigni præditæ, jungitur aliquis Nabal, agreſtis, auſterus, inhumanus, inſipiens, vecors. Quid hîc faciendum? quod Apoſtolus monet, Galat. 6. v. 2. *Alter alterius onera portet*; accommodet ſe cholericus ſanguineo, frigidus calido, taciturnus verboſo. Veteris Philoſophi eximium effatum eſt, quod vobis dictum putate: Uxoris vitium *aut tollendum, aut ferendum. Qui tollit vitium, uxorem commodiorem præſtat; qui fert, ſeſe meliorem facit.* Idem ſibi de ſuo *Remigio Sabina* applicet;

plicet; etiam hæc ſors aut ſuperanda ferendo, aut idoneis remedijs in meliorem vertenda; qui ex conjugibus vult alterum bonum, ſeipſum bonum efficiat, & virtutem faciendo commendet. Figmento Poëtarum etiam inter ſuperos quandoque oriuntur diſſenſiones, & ideo pacis ac concordiæ conciliatorem agit Mercurius, cujus caduceo,ſeu virgæ feciali, inflexi gemini ſerpentes, obverſis capitibus ſeſe reſpicientes. Quod documento eſt, etiam vitioſos mores & naturas poſſe conciliatrice virtute uniri,& in concordiam ſociari. Indulgeat aliquid maritus uxoris fragilitati, nec omnia ad vivum reſecet; ſuſpiciat, quæ laude digna; vituperabilia diſſimulet; gratuletur potiùs ſibi de matrefamilias rerum ſuarum ſatagente; remittat aliquid de jure ſibi arrogato, & laboris participem etiam audiat, ſi quid melioris illa conſilij ſuggerit, nam non rarò mulier quoque eſt *opportuna locuta*. Eſto, linguam paulò promptiorem habeat; commune eſt ſexui huic vitium; erumpet etiam compreſſa, nempe in ore ſua tela gerit. At elati eſt ſupercilij, & ſuperbiâ laborat, dominatum affectat. Nihil novum in femina, inflari, & ſeſe circumſpicere; hanc

hanc hæreditatem à prima parente ſortita eſt; quia ad gerendos publicos magiſtratus non admittitur, privatos ambit honores, & contemni ſe putat, ſi non colatur, etiam à marito, qui totum ei theatrum eſt. De imperio ſibi uſurpando, non exiſtimo, seriò id velle; repugnat id ejus probitati; novit enim, quid præcipiat Apoſtolus, Epheſ. 5. *Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino: quoniam vir caput eſt mulieris.* Uterque auſcultet, quid dicat S. Ambroſius lib. 3. epiſt. 25. ad Eccleſiam Vercellenſem. *Mulier*, inquit, *viro deferat, non ſerviat; regendam ſe præbeat, non coërcendam: indigna eſt conjugio, quæ digna eſt jurgio. Vir quoque uxorem, tanquam gubernator, dirigat, tanquam conſortem vitæ honoret.* Et lib. 5. Hexam. c. 7. *Non es Dominus, ſed maritus; non ancillam ſortitus es, ſed uxorem; gubernatorem te DEUS voluit ſexus inferioris, non præpotentem. Redde ſtudio vicem, redde amori gratiam.* Marito quidem, tanquam capiti, debetur amor; uxori, quaſi ſubditæ, convenit timor & reverentia. Hæc eſt pœna peccati primævi, ab Eva contracti: *In dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Gen.

Gen. 3. v. 16. Hinc graviter & ſeverè Apoſtolus 1. Tim. 2. *Non permitto mulieri, dominari in virum, ſed eſſe in ſilentio*; taciturnitas enim, modeſtia & verecundia ornant hunc ſexum. In femina omnia levia & mollia, quæ amorem decent, non reverentiam; mobile ingenium & mutabile, nihil ad conſtantiam & dignitatem regiminis, neque vox, neque vultus, neque animus. Si verò uxor modeſtè ſe deprimit & ſubdit, amor viri ſe ad eam demittit, eámque elevat & attollit, ſibíque facit parem & æqualem, velut in æquilibrio; addit pondus reverens modeſtia, non tumida ſuperbia; nam, quæ inflata ſunt, vento turgent, & in vacuo ſuas opes conſtituunt. Atque hæc in familiarem utriuſque veſtrûm admonitionem, & requiſitum arbitri officium; apud quos, ſpero, hanc meam qualiſcunque conciliatoris interpoſitionem tantò plus valituram, quantò certior ſum, iſtam inter ipſos diſſenſionem non ex odio, ſed ex ſubito quodam commoti animi impetu proficiſci: etiam amor, ut in adagijs eſt, non caret lite. Quæ tam felix eſt ullius mortalium ordinis conditio, inter quos non gliſcant aliquando cujusdam ſimultatis ſcintillæ? ſed

ex

cæ ſopiendæ, dum igniculi ſunt, ne in ignem erumpant; ne liberi & famuli advertant, inter parentes, aut heros, diſcordiam foveri; &, quod occultatum oportuit, cedat in ſcandalum, & offenſionem etiam publicam, & imminutionem amoris, reverentiæ, famæ. Quando maritus eſt in fermento, imperet uxor linguæ, ne ſtimulos addat iraſcenti; cùm quippiam uxori bilem in naſum ciet, caveat maritus, ne crabrones magis excitet. Hoc charitas, quâ invicem devincti eſtis, exigit; hoc conjugalis fides poſtulat, ne alter alteri ſit cauſa ſpiritualis ruinæ. Vir cogitet, iræ cedere, eſſe muliebre vitium; mulier oſtendat, ſe tacendo, & commotionem animi reprimendo, ſuperiorem eſſe viro; hîc dominetur & imperet. Valete, & vivite concordes; &, cùm ſitis *una caro*, eſtote etiam una anima, *Gen. 2. Marc. 10. 1. Cor. 6.* ita ſarcaſmum evitabitis, quem Poëta torquet in conjuges, ob æmulationem dominatûs diſſidentes:

Unum eſt conjugis utriuſq; velle (dominari)
Miror non bene convenire vobis. Martial.

Vos verò, tranſpoſitâ unâ voculâ, in laudem veſtram convertetis:

Unum eſt conjugis utriusq; velle;
Non miror, bene convenire vobis.

XXXVIII.

XXXVIII.

ISIDORO VENANTIO, Clerico.

Explicatio ſententiæ ambiguæ.
Proverb. 26. v. 4. & 5.

SCribis, priore te hebdomade Auguſtam Vindelicorum negotiorum causâ profectum, in hoſpitio publico offendiſſe in mercatorem, mediæ ſortis hominem, ſectæ Lutheranæ, expeditioris linguæ, quàm capitis; ſapientiæ haud ultra piperis & croci ſaccos progreſſæ. Is, ut horum hominum mos fert, more vulpium ſuper glaciem incedentium, & timidè ſubterlabentes aquas explorantium, cæpit in colloquium controverſias de Religione introducere, & tuam, ſuámq; ſcientiam periclitari. Inter alia diſceptationis capita, inciderat ſermo de claritate S. Scripturæ, tanquam unici, certiſſimíque Controverſiarum Judicis. Negaveras tu, hanc claritatem ineſſe Sacris litteris, quarum profunditas abdita multos abrupto hauſerit vortice: confirmandæ tuæ ſententiæ, adduxiſti geminos locos ex Proverbijs Salomonis cap. 26. in ſpeciem quidem contrarios, & ex oppo-

ſito ſibi adverſantes; ſed utique indubitatâ fide, tanquam æternæ veritatis, amplectendos. Alter erat iſte: *Ne reſponde ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, ne efficiaris ei ſimilis.* v. 4. & mox verſu ſequenti: *Reſponde ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens videatur.* Quod una ſententia affirmat, altera negat, nodo penè Gordio, diverſis nexibus, *Ita* & *Non*, implicito. Tum quidem ſatìs tibi fuerat, homini loquaci os obturâſſe; diſceſſit enim non ſine confuſione, hoc unum obmurmurans, ſe Theologicis litteris haud inſtructum, hanc quæſtionem alicui ſuorum Doctorum explicandam commiſſurum. Addis, temetipſum inter has antilogias, & ex diametro adverſas Salomonis gnomas, velut inter duos ſcopulos hæſiſſe, &, ſi Adverſarius explicationem hujus nodi petijſſet, tibi neque ſolutionem, neque Alexandri gladiũ in promptu fuiſſe. Quæris igitur ex me modum, hanc difficultatem expediendi, nexúſque enodandi. Faciam id perlibenter hac epiſtola, tuî, quod nôſti, ſtudioſus, & ad perſolvendum amicitiæ officium paratus ac obligatus. Imprimis ad Dubij hujus declarationem pertinet, nôſſe, quid Sacer Scriptor cit. loc. nomine *Stulti* intelligat; eſt enim varia hujus vocabuli

buli in divinis libris ſignificatio, quam pluribus exponere non eſt neceſſe. Hoc loco per *ſtultum*, cui negat reſpondendum Salomon, accipe hominem, qui vel non capiat reſponſa viri ſapientis, hebetudine mentis præpeditus; vel qui ſit ſiniſtro quodam affectu & perturbatione præoccupatus, ideóque verum cernere non poſſit; vel qui veritatis impatiens, aſſuetus probris & maledictis, facilè efferveſcit in jurgia, & ferocientis inſtar aſini calces in Medicum elidit; vel qui indignus ſit, ut ſacroſancta Religionis noſtræ myſteria ejus irriſui & ſcurrilitati exponantur; hoc enim eſſet, proijcere margaritas ante porcos, & aſino unguentum apponere. Monet ſacer adagiographus: *In auribus inſipientium ne loquaris, quia deſpicient doctrinam eloquij tui.* Prov. 23. v. 9. Et cap. 18. v. 2. *Non recipit ſtultus verba prudentiæ, niſi ea dixeris, quæ verſantur in corde ejus.* Stultus non recipit ſaniorem doctrinam, ſed ſuis, quas animo concepit, opinionibus mordicus adhæret; occæcatus pravo judicio verba prudentiæ & virtutis non admittit; convitijs regerit, &, quaſi amœbæo quodam carmine, alternis dicteria ſpargit. De hujuſmodi diſputatoribus S. Hieronymus in epiſt. ad

Paulinum: *Tractant fabrilia fabri; ſola Scripturarum ars eſt, quam ſibi paſſim omnes vendicant. Hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc Sophiſta verboſus, hanc univerſi præſumunt, lacerant, docent, antequam diſcant.* Huc facit illud Ciceronis contra Salluſtium. *Mihi ratio habenda eſt, non quid Salluſtius meritò debeat audire; ſed ut dicam, quæ ego honeſtè effari poſſum.* Adagiô fertur: *Quid aſino cum lyra?* D. Hieronymus ad Marcellam: *Quos ego cùm poſſem meo jure contemnere, aſino quippe lyra ſuperfluè canit, ne nos ſuperbiæ, ut facere ſolent, arguant.* Idem adversùs Vigilantium: *Quanquam ſtultè faciam, cum eo diſputare, qui loqui neſcit, & tacere non poteſt.* Huc convenit aliud proverbium: *Aſinus auriculas movens:* in eos quadrat, qui, cùm nihil intelligant, volunt tamen videri rerum ſacrarum periti. Flumen ijs eſt verborum, gutta mentis: veteri dicto ſcimus aſino naturale, ſubinde movere auriculas, velut ſignificanti, ſe jam intelligere cantum. Talis aſinus fuit Demoſthenes ille Valentis Imp. Arriani cocus, qui S. Baſilium fatuè reprehendit, quòd crederet & doceret ὁμούσιον, ſcil. DEI Filium æqualem eſſe Divinitate Patri; cui ſubridens

S. Do-

S. Doctor reſpondit: *Demoſthenem illiteratum hodie vidimus: tuum eſt, juſculorum curare condimenta; nam cùm aures habeas oppletas ſordibus, ſacroſancta dogmata audire non potes.* Theodor. lib. 4. c. 17. Denique ſtultum eſſe puta, & quocum in nullam verborum concertationem veniendum ſit, qui vel parùm ſobrius inter pocula in arenam diſputationis vult deſcendere; vel inſanis clamoribus ſolet aures percellere, ſuâ tantùm importuna vociferatione, & ſtentorea voce declamare, &, quidquid in buccam venerit, effutire; contrarias rationes & argumenta nec audire, nec audita intellectu conſequi: quocum clamando contendere, idem eſt, quàm una ſtoliditate alteram provocare; & ſtulto ſe *ſimilem efficere*, quam notam juxta Salomonem incurrunt, qui cum inſipiente diſputando altercantur; Siracidis monito: *Ubi auditus non eſt, non effundas ſermonem*, Eccli. 32. v. 6. hoc enim eſt littori loqui, ſurdo cantare, & cæco lumen inferre; communi verbo, qui veram aſſertionem præfractè negant, fuſte, non Dialectico mucrone, ſunt refutandi. Nunc ad alteram ſententiæ Salomonicæ partem: *Reſponde ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens videatur.*

l.c. Sunt enim quidam ex iis, qui ſe palæſtritas putant in diſputando, inflatis buccis crepantes ea, quæ nunquam didicerunt; jactant, omnium ſcientiarum codices à ſe pervolutos,& ultro laceſſunt,ſiquis ſuſtineat cum ipſis congredi; non ſecus ſuperciliosi, acſi Palladem, quod de Jove dicitur, in cerebro ſuo circumferant. Quos homines dum conſidero, *Daretem* mihi Virgilianum ob oculos pono, qui juvenili quadam temeritate elatus provocavit in certamen *Entellum*, multarum palmarum pugilem. Audi Maronem, ejus delineatorem,

Talis prima Dares caput altū in prælia tollit,
Oſtenditque humeros latos, alternáq; jactat
Brachia protendens, & verberat ictibus auras.

En thraſonem,vacuo tollentem cornua vertice. Ubi nota: *verberat ictibus auras*, hoc enim proprium eſt iſtis athletis; in auras ſolent ſævire. Non tulit impudentem temeritatem Entellus; accingit ſe pugnæ, cæſtibus obarmat brachia, dimicat, verſat in arena Daretem, confecturus adverſarium, niſi infelicem antagoniſtam eripuiſſent morti fidi amici,

-- Eg-

... genua ægra trahentem,
Jactantémq; utróq; caput, craſsúmq; cruorē
Ore ejectantem, miſtóſque in ſanguine
dentes.

Non fruſtra, *dentes*; his enim tubis claſſicum cecinit jactator. Hinc proverbium: *Dares Entellum provocat.* Talis thraſo fuit Goliathus ille, de quo Hiſtoria ſacra lib. 1. Reg. c. 14. Is ſtolidâ ferociâ, truculenta voce non homines tantùm, ſed DEUM ipſum laceſſebat ad pugnam, ſi quis ex omni Hebræorum numero prodire, ſecúmque congredi ſingulari certamine auderet. Non tulit jactantiam David, quanquam adoleſcens; prodijt adversùs gigantem, & more paſtoritio armatus fundâ, perâ, baculo, vibravit miſſilem lapidem, ſtolidúmque provocatorem in arena porrexit. Hoc habet territator, qui populum DEI dictis illuſit amaris. Par temerariâ audaciâ & inſolentiâ fuit Jovianus ille hæreticus, qui, contra virginitatem inſurgens in haſtam, D. Hieronymum, exercitatum in hac palæſtra athletam, in concertationem laceſſere non dubitavit. Quem cùm egregiè ſuis libris confutâſſet Sanctus Doctor, arma pro Joviano arripuit quidam, non tam Monachus, quàm rumigerulus rabula (ut loquitur Hieronymus) qui

auſus eſt ſcripta Viri Sanctiſſimi juxtà ac doctiſſimi, *canino dente rodere, lacerare, convellere*; inter imperitorum circulos, & mulierculaꝛum ſympoſia ſyllogiſmos texere, & argumenta contraria, quaſi ſophiſmata, traducere ac diſſolvere: nempe *inter mulierculas ſciolus ſibi & eloquens videbatur. Poſſum remordere, ſi velim*, inquit Hieronymus, *poſſum genuinum dentem læſus infigere; etiam mihi fœnum in cornu eſt. Veniat in congreſſum; non maledicta, ſed argumenta congerat; tunc intelliget, aliam vim fori eſſe, aliam triclinij; non æquè inter fuſos & calathos puellarum, & inter eruditos viros de Divinæ legis dogmatibus diſputari. Cùm autem ad libros venerit, & pedem pedi contulerit, & vel propoſuerit aliquid de Scripturis, vel audierit proponentem, tunc ſudabit, tunc hærebit.* Hæc ſunt ipſa illius verba ex epiſtola 4. lib. 2. ſanè cordata & ſine vanitate; novit enim probè Hieronymus, *Tempus eſſe tacendi, tempus loquendi.* Eccleſiaſt. 3. & illud Iſaiæ 6. *Væ mihi, quia tacui*; incidunt tempora, ut ſine offendiculo puſillorum, aut detrimento famæ, vel doctrinæ ſanæ, minimè liceat ſilere. Chryſoſtomus in pſal. 140. *Tunc loquendum eſt, quando,*

qua

quæ dicuntur, plus proſunt, quàm ſilentium. Chriſtus ipſe, Sapientia æterna, pluribus locis, maximè Matth. 23. gtaviter redarguit ſtolidos Judæos ac Scribas, *dilatantes phylacteria*, & ſcientiam legis Moſaicę tumidâ arrogantiâ jactantes; quibus non ſemel os ita occluſit, ut ſtarent muti inſtar piſcis, & confuſione pleni ſubducerent ſe oculis. Elymam magum Paulus, arroganter ſuis dictis reſiſtentem, acriter coarguit, & cæcitate percuſſit. Non minùs breviter, quàm nervosè & acutè impudentium hominum dicterijs reſponderunt, de quibus in varijs hiſtorijs legimus: ſic quidam civis Antiochenus Orthodoxus, ſtultè à Libanio Sophiſta, Juliani Apoſtatæ amico rogatus: *Quid facis fabri filius?* (ita per ſcomma vocabat Chriſtum Servatorem) ſtultitiæ ejus ſapienter reſpondit: *Juliano loculum fabricatur*. Et verus fuit vates: nam paullò pòſt Julianus occiſus, in loculo ad ſepulchrum elatus eſt. *Theodoretus* lib. 3. Hiſt. c. 18. Et *Maris* Epiſcopus Chalcedonis, exprobrans Juliano Apoſtaſiam, cùm ab eo ſtolidè velut cæcus rideretur, audiréſque: *Non te Galilæus tuus ſanabit?* prudenter ei ſtultitiam ſuam regeſſit: *Gratias ago DEO, quòd cæcus ſim, ne te apoſtatam oculis*

aſpiciam. Sozom. lib. 5. c. 4. In hanc garrulę dicacitatis ſcenam crebrò prodeunt feminæ, quarum linguæ à natura ad obſtrependum eruditæ. E quibus fuit Sophia Auguſta, Juſtiniani Imp. conjunx, quę Narſeti Eunucho, bellica fortitudine claro, pro Imperatore Italiam procuranti, per ludibrium ſcripſit: rediret Conſtantinopolin, ſe illi penſum inter ancillulas diſpertituram; reſpondit Narſes mulieris, ut merebatur, ſtoliditati & inſolentiæ, *talem ſe illi telam exorſurum, quam nec ipſa, nec maritus ejus eſſet retexturus.* Quod fecit, Longobardis in eam Italiæ partem poſſidendam, quæ hodie *Lombardia* vocatur, evocatis. Tanti ſtetit inſipiens loquacitas. Et hoc eſt reſpondere ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, eam tam validè & evidenter, modeſtè tamen, redarguendo ac refellendo, ut rationum pondere oppreſſus, non habeat, quò ſe vertat, & præ inopia mentis in gyrum ac vertiginem actus, abſurda quæque cogatur admittere; inficias ire, quæ paullò antè conceſſit; concedere, quæ rejecit; nam qui ſemel cæpit à recto tramite deflectere, continuat in longum errores, donec in avia & devia impellatur, & ſuam ſtultitiam agnoſcat: *in rupem protruſus aſellus.* Hæc tibi ad Nodum

ſive

ſive *Gordium*, ſive *Herculeum* (quem etiam Sacrum vocant) accommodatè ad hanc dubitationem, è Sacris litteris propoſitam. Quam ſi animo tuo exemi, lætor, me tibi inter ſcopulos, ut ſcribis, hærenti viam per fluctus aperuiſſe. Vale, & ſæpius mihi epiſtolam mitte, præſertim argumento diſputatiunculæ condítam.

XXXIX.

SUSANNÆ,

Viduæ nobili,

Servare modum in objurgatione domeſticorum.

QUereris, tibi tertio abhinc anno marito viduatæ, hâc columnâ ſubductâ, molem rerum domeſticarum ſoli incumbere, & ſub ea penè te opprimi, nunc magis ac magis experiri illud Eccleſiaſtæ: *Va ſoli, quia, cùm ceciderit, non habet ſublevantem ſe*, cap. 4. Denſo agmine tibi moleſtias ingeri, & quidem ab ijs, qui levamini eſſe deberent, famulis & ancillis, quamvis paucis (auctiorem enim familiam magna ex parte

te dimiſſam, retentis duntaxat, ad uſum nobili familiæ neceſſarijs) abunde tamen rerum adverſarum etiam in paucitate enaſci. Unicum defuncti conjugis verbum majoris apud ipſos efficaciæ fuiſſe, quàm longam exprobrationum tuarum iliadem; pervicaciam in ijs & ſegnitiem tantam, ut omnia perfunctoriè, & levi, quod ajunt, brachio peragant; niſi à tergo, à fronte inſtes, urgeas, moneas, horteris, increpes, objurges, nihil promoveri; hoc modo omnem animi tranquillitatem turbari, & perpetuam ferè tempeſtatem, nimbis & tonitruis mixtam, inter domeſticos concitari. Neque in mutatione famulantium multum præſidij eſſe; præſertim ancillarum, quæ videntur eodem ex luto ſictæ, eodémque in gymnaſio ad improbitatem eruditę; nolle eas reprehenſionem ullam admittere, nec ad dominæ nutus ſeſe accommodare; ſic reddi tibi orbitatem odioſiorem & acerbiorem: quam quia ſine famulari ſubſidio ac conſortio traducere non liceat, hos verò in officio continere, res plena ſit faſtidij & difficultatis; quæris apud me conſilium, quid agendum, ut malaciam mentis conſerves, imò recuperes, & inter quotidianas offenſiones in ſtatione quietis per-

permaneas. Antequam impertiam, quod poſtulas, & mihi aliquid abs te petendum eſt, ſcilicet *bona venia*; quâ conceſsâ, ſecuriùs & ſinceriùs ſuadebo, quod ipſe facturus eſſem, ſi tuo loco eſſem. Equidem (liberè dico, quod ſentio, procul aſſentatione) ſi ad ceteras tuas virtutes, quibus egregiè ornata es, accederet una, quæ velut gemma in aureo annulo emicat, haud dubitarem fateri, te ſimilem imagini, Apellis manu expictæ. Illa gemma, quæ? *manſuetudo*, ſeu *ſuavitas* morum, præcipuè *lingua*, quam Eccleſiaſticus laudat c. 6. v. 5. Nempe *Lingua eucharis* (ſeu gratioſa) *quæ in bono homine abundat.* Bonitatem hominis non ex longa in templis commoratione, non in multitudine precationum, non in induſtria œconomica, non curâ diſciplinæ, non aliunde; ſed ex comitate & humanitate ſermonis commendatur. Hæc eſt illa lingua, feminarum imprimis ornamentum, decúſque eximium; hæc illa ſuavitas, Attico melle dulcior. De hac Tullius de officijs: Difficile eſt dictu, quantopere conciliet animos hominum comitas, affabilitáſque ſermonis; hæc locum habet non tantùm in familiaribus congreſſibus hominum, ſed etiam in conſer-

vatione

vatione diſciplinæ, in gubernatione domeſtica, in ipſa *correptione, correctione, reprehenſione, objurgatione*: quæ ut proficiat, neceſſe eſt, ut ex amore, non odio, non irâ procedat; ut ſit lenis, & dulcedine vultûs ac verborum condiatur; ut ſit tempeſtiva, non præcipitata, abrupta, cum clamore, convitio, contumeliâ conjuncta. Medicina data ſuo tempore prodeſt; non ſuo, obeſt: eſt enim objurgatio inſtar pharmaci, cujus amarities dulciori ſucco corrigenda, ut illa dulcedine porta & aditus ad ægrotorum utilitatem aperiatur; pari ratione objurgationis ſeveritas eſt lenitate quadam temperanda ac mitiganda. Gemmæ quædam aceto maceratæ niteſcunt, pleræque melle decoctæ; ut pretium accedat reprehenſioni, eſt oblinenda ſaccharo. Lenis pluvia, quo placidiùs cadit, hoc uberiùs rigat & fœcundat; procelloſa, ſata & boum labores corrumpit. Vehementior objurgatio non abſimilis vento, qui magìs alit flammam, quàm extinquit. Hinc Siracides cap. 8. *Non incendas carbones peccatorum* (impatientium correctionis) *arguens eos*, hoc eſt, ne increpando ſeveriùs, irrites bilem ſubditorum, ut excandeſcant, ſicut ardentes carbones, & in-

te

te ſpargant flammam, quâ correptus etiam tu flagres, & furere incipias. In adagijs fertur ; *Ignem igni ne addas ; oleum camino ne affundas ; oleo incendium ne reſtinguas* : quibus indicatur, ne in reprehenſione aliorum concitatiores ſimus, & incendio alimentum addamus. Quod ij faciunt, qui, dum ſuos objurgant, titionibus utuntur pro ſtimulis, quibus fodiunt ignem, & impatientiam ſubjectorum acerbitate ſua magis accendunt & inflammant. Objurgatio imprudens & intempeſtiva folli & flabello comparatur ; in animo, virtutibus non ſubacto, facilè ſuſcitat tumorem & indignationem, illúdque Virgilianum reſonat :

Et vox aſſenſu nemorũ ingeminata remugit: cauſam clamoſæ echûs dedit, quæ prior cum tumultu *vocem in nemora alta* (aures irritabilis ancillæ) *remiſit*. Multùm intereſt, reprehenſio ſpumeo torrente feratur, an placidè ſtagnante aqua, nullíſque fluctibus agitatâ. Medicorum præceptô, dum febris incrudeſcit, abſtinendum eſt pharmacis, ne morbus exacerbetur, & increſcat. Juxta Eccleſiaſticum c. 20. *Homo ſapiens tacebit uſque ad tempus*; efficax eſt increpatio, quæ oppor-

opportuna eſt. Horologium, ponderibus li-bratum, æquipondijs temperatur, quibus devolutis ſonat; dandum iræ ſpatium. In perturbatione, quidquid fit, perperàm fit; ſubditus leniter caſtigatus, exhibet reverentiam caſtiganti; aſperiùs tractatus irritatur, & dura duris reponit. Plato Philoſophus ethnicus, & *ethicus*, negabat correptionem fructuoſam, niſi animo & ore ſedato profectam; propterea de ſervo contumaci ſumere pœnam diſtulit, cum dicto: *caſtigarem te, niſi iratus eſſem.* Quæ dum ſcribo, nolim, ut in alteram partem deflectas, & diſciplinam domeſticam nimiâ indulgentiâ diſſolvas: *in medio*, ut dicitur, *conſiſtit virtus.* Qui caſtigat alterum, ipſe priùs ſuos nævos corrigat, poſtea alienos ad cenſuram vocet; hæc moderatio non malè per ſymbolum explicatur, cujus emblema eſt, *faſciculus ex roſis & ſpinis colligatus*: additâ epigraphe: *cum lenitate aſperitas*: ad mentem D. Gregorij, qui homil. in Lucam 10. *Miſcenda*, inquit, *eſt lenitas cum ſeveritate, & faciendum quodammodo ex utroque temperamentum, ut neque multa aſperitate exulcerentur ſubditi, neque nimia benignitate ſolvantur.* Et idem lib. 19. Moral.

Regat

Regat diſciplinæ vigor manſuetudinem, & manſuetudo ornet vigorem, & ſic alterum commendetur ex altero, ut neque vigor ſit rigidus, nec manſuetudo diſſoluta. Neque eadem ingenijs omnibus conveniunt; quibuſdam ſatis eſt ſupplicij, erubeſcere; alij paullò acriùs ad officium revocandi, & vehementiùs, non tamen ultra modum ſtimulandi ſunt; alij velut dociles equi etiam umbrâ virgæ, ſola minarum oſtenſione, ad obſequium incitantur; alij in reprehenſione beneficium agnoſcunt, juxta illud: *Argue ſapientem, & diliget te.* Prov. 9. Eodem ſole cera liqueſcit, lutum induratur; aqua, infuſa vino, ejus ſaporem imbuit; commixta aceto in illius amaritudinem tranſit. Antequam ad increpationem deſcendas, cave, ne citò credas accuſanti; delationis comites ſæpe ſunt malevolentia & calumnia. Præpoſterè quoque corrigunt ſubditum, qui leviores ejus noxas exagitant, graviores diſſimulant; qui delinquentem, in *flagranti*, ut ajunt, ſtatim invadunt, nec ipſi moram pœnitendi, nec ſibi ſpatium ſanandi permittunt; qui ex templo reduces, à precibus vix finitis, repentè in jurgia ſtringunt linguam, & poſt colloquium cum DEO habitum, loquuntur homini, non ut homi-

nes, ſed inſtar Jovis, fulgurantis & tonantis. Vides hîc, quàm variè peccetur reprehendendo & objurgando; quantæ virtutis ſit, ita moderari animum, ut neque in diſſolutionem molleſcat, neque in aſperitatem rigeſcat; neque ad omnia conniveat, neque omnia carpat. Et quia natura noſtra pronior eſt ad efferveſcentiam, quàm ad indulgentiam, magìs adducenda eſt habena, ne exorbitemus invehendo, quàm commiſerando. Saluberrimum tibi remedium ſuppedito, tuiipſius in hac arena vincendi: *Examen* ſcilicet, conſcientiæ, quod vocamus *Particulare*, in quo unum maximè familiare vitium emendandum ſuſcipitur, vel virtus aliqua peculiaris, præcipuè nobis neceſſaria, adipiſcenda proponitur. Quòd ſi bene nos ipſos inſpicimus, fortaſſe pravitatem, de qua conquerimur, in ſinu inveniemus. Fuit aliquis commotiori animo; prorupit in verba à manſuetudine & moderatione aliena; in familiaribus corrigendis plus aſperitatis adhibuit, quàm deceret; ex impetu in indignationem proſilijt; ob eam noxam nos ipſos arguamus, & ſalubri cum dolore, ac pœnitudine meliora ſtatuamus; ſic paulatim miteſcet aſperitas, deferveſcet bilis, redibit menti ſerenitas, domeſticis

cis promptitudo obſequiorum, correctioni efficacitas, tibi quies. Sin'autem hanc noſtrî excuſſionem negligimus, culpas commiſſas non agnoſcimus, errores tantùm aliorum in crimen vocamus, quid mirum, quòd ex ea ſuî ignorantiâ varia pullulent vitia, & denique ſic corroborentur, ut ira paullatim in furoré deſinat? de hac enim moderanda mihi ſermo eſt. Et cùm ſexus infirmior alioquin non ſatìs potens ſit iracundiæ (ignoſce verbo) non rarò accidit, ut primus indignationis æſtus, ſi non temperetur, ingraveſcat, & in convitia, maledicta, imprecationes erumpat. Novi ego non unam hujus generis Furiam, cujus litigia omnibus cœli injurijs reſpondebant; illa, dum clamabat, tonabat; cùm probra jacebat, fulminabat; cùm contendebat & litigabat, nimbos & tempeſtates ciebat; urebat, cùm eſſet querula; glaciem effundebat, cùm moroſam ſe & difficilem etiam marito oſtendebat. Verùm hac feminarum ſorte tua te Virtus pridem exemit. Quòd ſi quandoque concitatioris animi pulviſculi nitorem ſpeculi, ex quo virtus & probitas tua elucet, modicè offuſcent, citò illam maculam abſterge, nec ſine inveteraſcere. Quæ tibi ſcripſi, etiam mihi ſcripſi, ne videar alios velle ſanare, ipſe

medicinâ juvandus. Cura valetudinem tuam, & incommoda viduitatis invictâ patientiâ ſuſtine. Sororem Juſtinam ex me perhumaniter ſaluta.

XL.

GERASIMO LINANO,

Patientiam ob combuſtum prædium.

UBi legi tuam epiſtolam lacrimis tinctam, captus ſum commiſeratione tuî, animitúſque condolui rerum tuarum cladi. Hanc cœlo debes calamitatem; jaculatum eſt ignem, & in te, tanquam deſtinatum ſcopum, ferijt. Repentino fulminis ictu, prædium inſtructiſſimum & ampliſſimum, ſpes & ſuſtentatio tua, tactum in cineres ſubſedit; exuſtæ (quod ſcribis) ſunt ædes, habitatio hominum; deflagrârunt horreum & frumentum, ſtabula cum pecoribus; tu cum uxore & duobus liberis ſemitectus ægrè vitam incendio eripuiſti; arca quoque cum toto peculio Vulcano ceſſit; res & ſpes omnis perijt. Deſunt, qui pecunias credere velint; pignora non ſuppetunt, quibus fœneratoribus cavere poſſis; non apparet ſubſidium in amicis, qui tua

magis ope indigent, & tecum ſe proſtratos conqueruntur. Hæc tibi jactura tantò gravior accidit, quantò durius eſt, ab honeſtæ fortunæ conditione ad extremam pauperiem uno momento devolvi; cùm tamen hactenus ita vitam ad normam Chriſtianæ Legis inſtitueris, ut omnia alia à cœlo te meritum fuiſſe putâris. Accendit tuum dolorem æmulatio, quæ Davidem quondam non levi æſtu jactavit, qui Pſal. 72. *Mei autem penè moti ſunt pedes, quia Zelavi ſuper iniquos, pacem peccatorum videns.* Et Jobus c. 21. hæſit attonitus ex conſideratione felicitatis impiorum, ubi inter alia: *Domus eorum ſecura ſunt, & placata, & non eſt virga DEI ſuper illos.* Non cadunt in tecta miſſiles ex alto ignes; non incurrit hoſtis in agros & prædia; non intendit capitibus eorum vindicem virgam DEUS; bonæ Fortunæ, ut dicitur, clypeo tecti, & perpetuæ ſerenitatis luce gaudentes, nullos ſiniſtros caſus extimeſcunt. Cùm è contrario probi miſeris modis, non ab hominibus tantùm, ſed ab ipſis Superis (liceat dicere) exagitentur, nullùmque inveniant portum, in quo ſtabilem ſibi ſecuritatem polliceantur. Hæc tu quidem dolenter, & mortalium ſenſu, quorum mentem ejuſmodi ca-

ſus inopinati percellunt; nempe hic locum habet illud: *Homo ſum, & nihil humanum à me alienum duco*; rumpit gemitum calamitas, & quærit exitum conſtricti pectoris anguſtia: neq; enim ego te ad Stoicorum indolentiam, quam ἀπάθειαν vocant, ablego; hanc fingunt eſſe ſtatum animi, ad eam firmitatem ac duritiem perducti, ut ne ſentiat quidem ea, quibus cæteri turbari ſolent; aliqui *vacuitatem affectuum* eam appellant. Sed cruda nimis, & humani ſenſûs expers eſt iſta opinio, affirmantium, viro forti nullum unquam conceſſum eſſe gemitum, tametſi maximis doloribus prematur. Hanc philoſophiam Tullius in Quæſt. Tuſcul. meritò ut ridiculam explodit, quæ hominem, *ex oſſibus & nervis compactum*, ferreis inſtruit fibris, ita ut ſi uratur & crucietur vir fortis ac ſapiens, non tantùm æquo animo patiatur, perferat, haud ſuccumbat; ſed etiam, quamvis in Phalaridis tauro torqueatur, dicat: *Quàm ſuave eſt hoc! quàm hoc non curo!* Procul cum hac ſtolida Stoicorum dolorum carentiâ, quę ad lapides & ſtipites amandanda, non ſentientes inflicta verbera. Ipſe Hercules, quem tamen finxerunt Veteres *Alexicacum*, ſeu *malorum depulſorem*, victus impatientiâ dolo-

ris,

ris, ex venenata Neſſi centauri veſte affricti, in ardentem ſe pyram conjecit, ac inter graves ejulatus animam efflavit; recitat loc.cit. Cicero initium ejus ejulatuum:

O multa dictis gravia, perpeſſu aſpera,
Quæ corpore exantlata, atq; animo pertuli.

Licet ergo viro forti, gemitu dolorem teſtari; licet, verbis ad miſeratíonem idoneis mærores animi prodere; ſed non licet ultra limites rationis & decóri prodire; ferendum nobis eſt, quidquid homines tulerunt, feréntque. Quòd ſi ex Philoſophorum Ethica vellem lenimen tuis malis admovere, adferrem in medium, quæ ad naturæ legem accommodè pro conſolatíone ſolent adduci, homini præter culpam & peccatum nihil accidere poſſe, quod non ſit æqua mente ferendum; emicat enim virtus in adverſis, ſicut ſtellæ de nocte: Poëta canit:

Quæ latet, ínque bonis ceſſat non cognita rebus,
Apparet virtus, arguitúrq; malis.

Dicerem, levius fieri patientiâ, quidquid grave eſt toleratu; neceſſitatem vertendam in virtutem, & iniquitate fortunæ pro cote utendum ad acuendos ſtimulos fortitudinis; exponerem, hac nos conditione in vitam ingreſ-

greſſos, ut in ſcena ſpectemus & ſpectemur, quomodo perſonam non minùs in proſperis, quàm adverſis rebus ſcitè & decorè geram?. Eſt enim vita hæc noſtra tragœdiæ ſimilis, cui triplex argumentum aſſignatur, ſcilicet *terribile*, *mirabile*, & *miſerabile*; primum ad terrorem excitandum ſpectat; alterum admirationem pro fine habet; tertium comiſerationem intendit. Nec alias ob cauſas tragicos nobis caſus im̃ittunt Superi: primò quidem ad deterrendos nos à voluptatis illecebris, quæ plerumque cum ſecunda fortuna conjunctæ ſunt; deinde venerationem Numinis injiciunt, & admirationem judiciorum Divinorum pariunt; tertiò affectum com̃iſerationis conciliant, & reducunt animum ad alienæ miſeriæ ſenſum; *Hodie enim mihi, cras tibi.* Hujus eventûs tragici tute ipſus vivũ exemplum ac ſpeculum exiſtis. Vitam quidam Rotæ comparant, duplici curvaturâ præditę, quarum altera ex ferro rigida, altera ex auro vel argento ſplendida; Fortuna verò, imò DEUS, jam hanc, jam illam obvertit; quando eſt propitia, melioris metalli fulgore oculis illudit; quando aſpera & adverſa, ferrum objicit, & ferream neceſſitatem. Multos intrò perſtrinxit candidioris ſortis nitor, quos

poſtea

poſtea ferruginea duriſſimi Fati facies exterruit, & in luctum dedit. Nonne hîc imaginem tuam agnoſcis? Ex hac ipſa Rotæ circumvolutione, erige te ad ſpem meliorum; viciſſitudinem ſortis jam blandientis, jam ſævientis, jam arridentis, jam irridentis perpende; nam

Sperat infeſtis, metuit ſecundis
Alteram Sortem bene præparatum
Pectus. Horat. Ode 10. lib. 2.

Sæpe turbidum manè excepit ſerenus veſper, & ſerus dies vidit ſtantem, quem aurora aſpexerat jacentem. Monet Siracides c. 11. *In die bonorum ne immemor ſis malorum, & in die malorum ne immemor ſis bonorum.* Alternant enim luctus & gaudium, mæror & lætitia, miſeria & felicitas; poſt tenebras ſpera lucem, poſt nubila Phœbum, poſt tempeſtatem ſerenitatem. Hac ſpe ſeipſum conſolatus eſt, omnium malorum ſcopus, Jobus, qui cap. 11. *Et quaſi meridianus*, inquit, *fulgor conſurget tibi ad veſperam: & cùm te conſumptum putaveris, orieris ut Lucifer.* Hac ſpe ſe excitavit Boëtius, juſſu Theodorici Regis Arriani carceri incluſus, & morti deſtinatus cecinit:

Et qui prima tempore noctis
Agit algentes Heſperus horas,
Solitas iterum mutat habenas,
Phœbi pallens Lucifer ortu.

Quis enim infelicior illo Huſſæo Principe? quis unquam dirioribus caſibus exercitus eſt? quàm mirabilis in hac tragœdia rerum converſio? audi ſacram paginam: *Et addidit Dominus omnia,quæcunque fuerant Job,duplicia* cap. 42. Permittamus igitur DEO, ut nos in hoc ludo Tragico pro ſua providentia verſet, & reverſet; in illius eſt poteſtate, dare & auferre. Jobi calamitoſa inopia in rerum omnium abundantiam vertit; luctuoſa tragœdia hilarem cataſtrophen ſortita eſt. Cur tu ab hoc Chorago, cujus *velle* eſt *poſſe*, non paria exſpectes? Fortaſſe dices: facile eſt verba dare, nimiùm diſtantia factis; in paucis patientiæ exemplis numeratur, quem tu laudas, Jobus: & ille ipſe, quo doloris ſenſu, quàm multis verbis miſerias ſuas explicavit? Deinde non cujuſvis eſt, propiùs tantorum heroum veſtigia ſequi; fatis tam iniquis agitamur, ut nimis quàm arduum ſit nobis humunculis, ad hoc virtutis faſtigium eniti. Ne, quæſo, deſpondeas animum; etiam in *ſecundis, ter-*

tijs,

tijs, *quartis* conſiſtere,laudis eſt, cùm *primas* obtinere non datur. Tulit poſterior quoque ætas viros inſignes, quos caſus acerbi non modò non dejecerunt, ſed ne commoverunt quidem. Inter exempla innumera unum commemorare ſatis erit, quô, religione quidam & fortitudine heros,invicto planè pectore contra incendij debachantis furias (has enim tu expertus es) ſtetit: ſtetit autem? etiam hilariter, nec ſine ſale eas excepit. Remigius is fuit, Rhemenſis Præſul, qui,poſtquam prævidit maximam annonæ charitatem proximo anno futuram, magnam frumenti copiam collegit alendæ plebi; hanc Antiſtitis providentiam projecti quidam homunciones avaritiam interpretati, tanquam annonam vellet comprimere, ad horreum Divi convolârunt, illúdque ſubjecta face incenderunt; celeri nuntio ad Remigium delato, ille, quâ poterat feſtinatione,ad incenſum frumentum properat. Ubi advenit, flamma exſuperante, omne triticum in pabulum ceſſit. Quid hîc afflictiſſimus Præſul? ad ignem tanquam ſe calefacturus acceſſit, dixítque: *ſemper bonus eſt focus, præſertim ſeni. Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum.*

ctum. Quod ego non eò refero, tanquam jocantem patientiam abs te exigam; hoc enim eſſet, eundem pedis modulum omnibus admetiri, & rariores cœli gratias in communem uſum transferre. Id iſta narratione cupio, ut videas, quò Virtus, non Stoica, ſed Chriſtiana, vim ſuam exporrigat; quàm potenter affectibus imperet, & ſævienti Fortunæ reſiſtat. Tu certè plures habes cauſas, mærorem tuum ſupremo Moderatori attemperandi, & hanc infelicitatem more Chriſtiano perferendi. Potuiſſet Remigius contra perditorum hominum malitiam expoſtulare; potuiſſet cladem illam peſſimorum nebulonum perverſitati imputare, infortunium omne ſuum in nefariam audaciam ſceleſtiſſimorum incendiariorum conferre: non fecit; non in malam crucem ire juſſit; ſed in illum reſpexit, cujus permiſſu hæc acciderunt. Vide igitur, quem accuſes, dum culpam hujus exuſtionis conijcis in cœli injuriam & inclementiam; vide, inquam, ne DEUM ipſum arguas ſævitiæ, cujus Numine fulmen in te, & tua, vires ſuas exeruit, mandatáque facta peregit. Ad æmulationem felicitatis improborum quod attinet, non eſt cur invideas illis ſorté ſuam. Clarè Sacra pa-

gina:

gina : *Proſperitas ſtultorum perdet illos.* Prov. c. 1. Beatulos illos *ſtultos* vocat, nec immeritò, quippe qui vecordiâ ſuâ capti, præſentibus inhiantes, futurorum obliviosi, præponunt caduca manſuris, fluxa æternis; brevem oblectationem tormentis nunquam finiendis. Saginantur velut victimæ, Orco immolandæ. Proſperitas, inquit Bernardus, eſt incautis ad diſciplinam, quod ignis ad ceram, ſolis radius ad glaciem; cryſtalli hæc præbet ſpeciem, & ſub manibus diſſolvitur. Quocirca orat ille : O Numen, meis admiſce proſperis quiddam mali! Fragilitatis enim humanæ nimia eſt in rebus ſecundis oblivio. Has enim hinc ſuperbia, inde ambit laſcivia. Adverſa frenant, proſpera animos efferunt. Rariſſima in re proſpera prudentia eſt. Tumidus ſecundis, timidus eſt idem in malis. Monitum eſt Regum ſapientiſſimi lib. cit. c. 3. *Non æmuleris hominem injuſtum, nec imiteris vias ejus*; ducunt enim ad perditionem; in hunc finem definit hæc vitæ jucunditas; Fortuna, ut dicitur, vitrea eſt, dum ſplendet, frangitur; lamellæ bracteati auri ſimilis eſt, brevi tinnitu crepat, paullò poſt in æruginem & rugas vertitur. Ad rem noſtram Chryſoſtomus :

mus; Ne æmuleris, inquit, virum injuſtum; ſi nullus malus ſupplicio afficeretur, nemo putaret DEO humanorum curam eſſe; ſi omnes punirentur, nullus ſperaret reſurrectionem; æqua merces omnibus redderetur. Et ibidem: Sunt plerique boni, qui mali aliquid habent admixtum; boni item, qui aliquid mali operati ſunt, quorum hic recipiunt vices, ut illic æternum puniantur, hom. 8. in 2. ad Titum. Et Auguſtinus epiſt. 70. Hæc bona, ne putentur mala, dantur & bonis, ac rurſus, ne putentur ſumma, dantur & malis. Itémque auferuntur iſta bonis, ut probentur, & malis, ut crucientur. Nolo longiùs in hoc argumento verſari, de quo paſſim Ethica ſacra, ac profana. Tu contemne hanc felicitatem umbratilem, & gypſo incruſtatam; clades hæc domeſtica, tametſi atrox, in te incubuit, tanquam experimentum virtutis, & pignus amicitiæ Divinæ. Igne probata & illuſtrata eſt conſtantia. Fide DEO, & vadem me accipe, fore, ut non fallat hæc te fiducia; conſilium, quod alteri in tali infortunio dediſſes, tibímet applica, & non tam virum, quàm Chriſtianum te exhibe, mortalibus & immortalibus ſpectandum atque admirandum.

XLI.

XLI.

ZENONI LUCELLIO MERCATORI,

Feſtina lentè.

QUod bene vertat, mercaturam facere cœpiſti, & Mercurij caſtra, imò fora ſequi. Equidem probo hoc inſtitutum, cui nativa quædam induſtria & ſolertia te præſignavit. Id jam tuâ intereſt, ut negotiationem dextro pede adeas, & in publicam privatámque utilitatem rectè exerceas. Mercatura unum ex ijs eſt, quod in omni bene conſtituta republica florere debet; ſi hæc jacet, neceſſe eſt, ut civitatis emolumenta plurima jaceant, & fons obſtruatur hauriendis opibus: cùm enim non ferat omnis omnia tellus, meritò homines inter ſe communicant, quæ in uno loco abundant, in alio deſiunt; unde mercatoriæ tribui multis privilegijs cautum eſt, & inter cives honoratiores habentur, qui mercimonijs rem factitant. Quia verò cum hac vitæ conditione multa pericula conjuncta ſunt, juréque ſuo fructum laboris & impenſarum exigunt Inſtitores, æquum eſt, ut honeſtum quæ-

quæſtum referant, & incommoda commodis compenſent. In hac negotiantium ſorte ego te pono, & fidem tibi atque juſtitiam, tanquam hujus ſtatûs ſingularia decora, unicè commendo. Lucrum verò ex re qualibet captare, non eſt hominis ingenui, & liberaliter educati, ſed potiùs verſuti, obſcuri, aſtuti, fallacis, & ſordidi, ut Cicero loquitur lib. 3. de officijs. Ingenita quidem eſt omnibus lucri cupido, ſed præcipuè mercatoribus, quorum curæ eò tendunt, ut communi bono privatum non negligant. Illorum vota olim Satyricus expreſſit:

Prima fere vota, & cunctis notiſſima templis,
Divitiæ ut creſcant, & opes, & maxima toto
Noſtra ſit arca foro.

Et idem:

Interea pleno cùm turget ſacculus ære,
Creſcit amor nummi, quantùm ipſa pecunia creſcit,
Virtus poſt nummos.

Sed hæc cupiditas multis in damnum ſuum ceſſit; ſtrangulat enim pecunia injuſtè acquiſita, propterea Mercurius Mercatorum DEUS pingitur cum crumenta ex auro turgidâ, collóque pendulâ; petit enim avaritia primò jugulum domini ſui,

Sed

Sed plures nimiâ congeſta pecunia curâ
Strangulat.

Et unde mercantium tot mendacia, tot juramenta, niſi quia volunt, quas laudant, extrudere merces? adeo ut commune inter eos verbum ſit: *Jurare, & peierare oportet eos, qui merces tractant*; mendacio veſtiendæ ſunt indicationes rerum venalium, & dimidio plus ſupra juſtum pretium exigendum, ut æquum impetres; cui lingua eſt in promptu, etiam pecunia eſt in parato. Dum venditor commendat mercem ſuam, & emptor viliùs æſtimat, ſæpe oritur inter eos verborum digladiatio, tanta quidem contentione, ut una taberna mercatoria videatur forum implêſſe. Notum eſt, quod de Mimo quodam refert S. Auguſtinus, lib. 13. de Trinit. c. 3. eum in theatrum publicum graphicè prodijſſe, & promiſiſſe, ſe dicturum, quid quiſque circumſtantium (confluxerat hominum copia) animo volveret, & in deſiderio haberet. Magna exſpectatione concitatâ, denique grandi hiatu edixit in hæc verba: *Vili vultis omnes emere, carô vendere.* Non extra rhombum. Hinc illa partis utriuſque litigia, & pretij diminutiones ac auxeſes, quarum Sacra quoque pagina meminit,

nit, Eccli. 27. ***Inter medium venditionis & emptionis anguſtiabitur peccatum***, & quaſi premitur inter vendentem & ementem, dum uterque alterum conatur decipere; ille mercem ſuam ſupra juſtum excandefaciendo; hic minuendo, deprimendo, vituperando, unde fraudes, doli, perjuria, inter quæ juſtitia & veritas, velut inter duos molares, comprimitur, peccatúmque conſtringitur, ut uterque oris ſui laqueo capiatur; atque hæc eſt illa facundia, quâ Mercurio, deorum diſertiſſimo & fallaciſſimo, litatur. Salomon quoque in Proverbijs has in emendo & vendendo fraudes arguit: ***Malum eſt, malum eſt, dicit omnis emptor: & cùm receſſerit, gloriabitur***, cap. 20. vituperat enim, fidémque mendacio adſtruit, vitioſum eſſe, quod venale proponitur, ut pretium ejus imminuat & extenuet; contrà venditor mercis præſtantiam extollit, & juramento affirmat, mercem vitio carere, vilitate pretij ſibi ipſi damnum accerſi. Hinc apparet, quàm lubricus ſit mercaturæ contractus, quàm multis nexibus implicitus, quibus plerumque aut emptor, aut venditor capitur, & reti gravioris noxæ conſtrictus, in anguſtias, quod Siracides aſſerit, redigitur. Periculum oſtendo,

do, mercaturam nec in crimen, nec vituperium traho; ſitum eſt in cujuſvis poteſtate, bene an pravè foro utatur; ſic enim in rebus humanis conſtitutum eſt, ut ſuæ quiſque vel fortunæ vel infortunij, ſalutis aut exitij ſit faber. Hoc ipſa natura docet, quæ in ijsdem herbis pharmacum & venenum abſcondit. Multis mercatorum dexteritas & ingenium nummos peperit; alijs ignava quies cauſa paupertatis fuit. Hoc ajo, ei, qui in Mercimonijs agitandis ſcopulos evitare velit, *Feſtinandum lentè:*

--- Nam dives qui fieri vult,
Et citò vult fieri,
Non eſt reverentia legum:
Nec metus, aut pudor unquam properantis avari.

Juvenal. Sat. 12. Sapienter Terent. Comicus in Adelphis,

Pecuniam in loco relinquere, magnum interdum eſt lucrum.

Irrigat imber, etiam ſtillatim cadens; frequentatum lucellum in amplum lucrum excreſcit, juxta veterem jambum:

Nunquam vir æquus dives evaſit citò.

Opes citò collectæ diffluunt, ſenſim congre-

gatæ perdurant. Quod citò fit, citò perit: Novi ego, qui repentè divites facti, *conturbaverunt*, *& forô cedere* coacti ſunt. Reſtringenda cupiditas, & imperandum animo, avidiùs pecuniam anhelanti. Qui lentè procedit, non facilè offendit pede; feſtinatio non tantùm currus, ſed etiam ſpes evertit. Per aureas Fortunæ portas non cum impetu irrumpendum; qui admitti cupit, fores modeſtè pulſet. Non minùs in arte, quàm in natura, paulatim fit motus; cibus, ut proſit, mandendo demittendus in ſtomachum, non tuburcinatim glutiendus. *Lenta feſtinatio* videtur conſtare ex verbis inter ſe pugnantibus; ſi enim *lenta*, quomodo *feſtinatio?* Nempe mercimoniorum tractatio tam excludit nimios cunctatores, quàm nimios feſtinatores; medium inter utrumque tenendum. Rem ſuam augere volenti, non ſerò, id eſt, poſt *nundinas*, ut dicitur, *veniendum*; captanda occaſio, & tempore utendum, quo ſolent confluere emptores, & præſentem pecuniam in mercatum adferre; neque ita feſtinandum eſt, & ſpes præcipitandæ, ut Creſus ex mercatu recedere cogitet, qui ad eum cum doſſuaria merce Irus acceſſit. Nihil quidem negligendum mercaturam

caturam exercenti, ſed ſine ſordibus, ne cumini ſector audiat, & ubique quæſticulum putidiùs ſectando, abſterreat empturientem. Indicium properantis avaritiæ eſt, metiri non ad regulam modò, ſed ad unguem uſque curtè reſecare; in ponderando verò momenta ſingulæ obſervare, acſi piper & cinnamum ſit librâ monetariâ expendendum. Nihil dicam de ijs, qui menſuras & pondera ſubdolâ arte pervertunt; minuunt, addunt, aggravant, levant pro ſuo libitu; fraudandi calliditate, non contenti mediocri pretio, ſummum exigunt. In qua re frivolarij quoque Inſtitores non raro grave piaculum conſciſcunt, leves quoque reculas cum non levi fallacia venum exponentes, mercéſque obſoletas ut recentes, vitioſas ut integras, rudi plebeculæ duplicato, etiam pretio obtrudentes: ita fit, ut tenuia ſæpe peculia non ſine occulto ſplene emungant, & tantò gravius damnum ſimplicibus inferant, quantò indoctiores ſunt fraudis, nec advertunt jacturam, quæ paucorum quandoque teruntiorum, illis perpeſſu hoc eſt difficilior, quòd opes ſuas omnes in exigua crumenula circumferant. An non impoſtores hi & ſycophantæ ultro animam ſuam, ſine licitatione,

Orco venditant ? Tu ſic locupletari ſtude Mercuriali induſtria, ut nemini injuriam facias, nec abs te quenquam dimittas, injuſtitiæ te poſtulantem. Deinde memineris, ſic ad *Inſulas* illas Fortunatas, aut Colchidos vellus aureum, eſſe navigandum, ut magis utendum ſit remis, quàm velis; hoc eſt enim *feſtinare lentè* ad lucra non illicita; ſinceritas, veracitas, fidelitas geſtetur in oculis, linguâ, manibus; quod loqueris, conveniat cum rebus, &, quod laudas verbis, non reprehendàs factis. Nihil turpius viro honeſto, quàm velle creſcere per fraudes. Auri ſacra fames Midam Poëtarum figmento in ſtultitiam dedit; hinc aſininæ capitis auriculæ. Non *lentè*, ſed præcipitanter *feſtinavit*, dum optavit, ut omnia, quæ tangeret, in aurum converterentur: ſtolidè; dapes in aurum, ipſe in longam eſuriem ijt. Jámque

Effugere optat opes, &, quæ modò voverat, odit,

An ſapientiùs agit, qui, æſtu diteſcendi abreptus, non dubitat ſalutem ſuam diſcrimini exponere, ut uxor ſuperbiùs veſtita incedat, liberi licentiùs luxurient, familia lautiùs habita ſemper ad plenum ſtet præſepium? Non neſcis illud:

DE

De malè quæſitis vix gaudet tertius hæres. Quæ ſunt iſta malè quæſita, niſi quæ pariuntur per artes inconceſſas, & à cœli terræque foro proſcriptas? Auceps calllidiſſimus eſt avaritia; ponit pedicas *feſtinanti*, in quas ſeſe induunt, quicunque *volunt fieri divites*, & maximè, qui cupiunt citò fieri. 1. Timoth. 6. v. 9. has tu cave tendiculas, quas vocat Apoſtolus *laqueum diaboli.* Satis, credo, hæc de profana mercatura; de ſacratiore peritum æſtimatorem audiamus Auguſtinum, qui lib. de ſpiritu & anima, *Ecce venale eſt*, ait, *regnum DEI: eme, ſi vis, nec multùm exiſtimes de re magna propter pretij magnitudinem; tantum valet, quantum habes; noli quærere, quid habeas, ſed qualis ſis. Res iſta valet tantum, quantus es; tu te da, & habebis illam. Sed malus ſum, inquies, & fortè me non accipit: Dando te illi, bonus eris.* Hæc non eò putes à me dici, ut jubeam te cum Negotiatore Evangelico, aut Franciſco Aſſiſienſi cæptam vitæ conditionem relinquere, & venditis omnibus, vel potiùs in pauperes erogatis, ſine ſarcinis, ut ajunt, ex his curarum fluctibus enatare; ſed ut ad Legis Chriſtianæ præſcriptum ita vivas, agas, negotieris,

quò æternùm vivas, & theſauros ibi reponas, ubi eos cuſtodiunt, non gryphes Riphæorum montium, ſed receptacula Olympi.

XLII.

CORNELIO CURIATIO

Conſilia ex eventu non eſſe metienda.

IN heſterno colloquio, familiariter inter nos inſtituto, trium dicebas pœnitudine te duci, eorúmque memoriam moleſtè ſentire, exemplo Catonis, viri cæteroquin ſapientiſſimi, quem tamen trium maximè pœnitebat, & illa ad amicos commemorabat. E quibus primum erat, quòd iter feciſſet mari, cùm terrâ potuiſſet. Alterum, quòd diem ullum ſine condito teſtamento tranſegiſſet. Tertium, quòd ſecretum feminæ commiſiſſet. Rationem primi reddebat, quòd nemo deberet ſe periculo temerariè exponere, id quod ij videntur facere, qui furioſis ſe fluctibus in fragili ligno committunt, Satyrico teſte, naufragum cum amaro riſu excipiente,

I nunc,

I nunc, & ventis animam committe, doloſo
Confiſus ligno, & digitis à morte remotus
Quattuor, aut ſeptem, ſi ſit latiſſima teda.

Et Horat. lib. 1. ode 3.

Illi robur, & æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commiſit pelago ratem.

Secundi dicti cauſam ajebat, quòd nihil eſſet certius morte, nihil incertius ultimâ horâ. Hinc Poëta:

Omnem, crede, diem tibi diluxiſſe ſupremum.

Ob tertium dolebat, quòd ſciret, mulierem eſſe vas pertuſum, & undique rimis apertum ac perfluens, quod nullum arcanum continere poſſit, Seneca teſte:

Femina id ſolum tacere poteſt, quod neſcit.

Catoni huic in eo te comparabas, quòd *tria* itidem eſſent, quorum pœnitentia crebrò ſubiret animum tuum. Primum ex ijs eſſe conſilium, à te Euſtachio Limæo, viro amico & locupleti, tibíque affinitate conjuncto, datum, ut grandem pecuniæ ſummam (erant floreni Rhenenſes omnino decies mille) ſpe uſuræ centeſimæ ad ipſum rediturę, nempe florenorum duodecim ex centum, conferret in ſocietatem mercatorum Alexandriam abnavigantium; qui deinde à piratis invaſi, om-

nium jacturam, præterquam vitæ precariò redemptæ, paſſi ſunt; hinc concidente fide, plerique foro migrare coacti, cladem illam ſemper poſtea ſentiebant; Limæus certè paullò pòſt ex mœrore deceſſit. Alterum pœnitendorum eſt, quòd, ut Menedemum & Charidemum, vicinos tuos inter ſe diſſentientes, in priſtinam concordiam reconciliares, autor fueris, conjugij inter Menedemi filium, & Charidemi filiam ineundi. Modico tempore interjecto, quotidianis rixis eò devenerunt, ut, necquicquam tentata pacificatione, demum poteſtate Eccleſiaſtica debuerint ſeparari divortio. Tertium conſilium fuit, quod à te Achatius de Pabulano, nobilis & opulentus Toparcha, accepit, ut alterum è duobus filium, adoleſcentem optimæ indolis, & magnæ ſpei, miſerit in exteras regiones, morum elegantiæ & peregrinæ linguæ addiſcendæ causâ (nam in Aulis Principum hi ferè ſolent deſiderari & promoveri) infelici ſucceſſu; is enim in i[...] ætatis flore, contagione ignota afflatus, ir[...] lieno ſolo tumulatus, parentes triſti n[...] & longo dolore afflixit. Hæc mea conſilia, ſcribis, etſi forſan non imprudentia, quia tamen ſiniſtrum eventum ſortita ſunt, & in

 grave

grave alijs damnum ceſſerunt, non mediocrem animo ægritudinem attulerunt. Quare tecum ſtatuiſti, conſilium tuum poſthac exquirentibus nequaquam reſpondere in rebus dubijs, & periculoſæ aleæ ſubjectis: neque enim tibi neceſſarias eſſe obtrectationes & odia, quæ hoc nomine incurruntur; præſertim cùm magìs ex eventu, quàm ratione, etiam ſapienter excogitata judicentur. Sapientem quidem ad inſtar Jani bifrontem eſſe oportere, præterita meminiſſe, futura proſpicere; ſed divinare, quæ eventura ſint, eam te ſcientiam (quam tamen Tullius exiſtere dicit lib. de Divinat.) nondum didiciſſe. Proverbij loco uſurpari:

Qui bene conijciet, vatem hunc perhibeto:
Peritum ſanè jaculatorem eſſe, qui ſcopum tetigerit, & conjectorem poſſe appellari, qui vaticinando non aberrârit; ſed hæc ab eventu, quem quis mortalium de ſe præſtare valet? Regum ſapientiſſimus infirmitatem ſuam fatetur, Sap. 9. *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ.* Rationes, quibus nitimur, multis fallacijs & erroribus ſunt expoſitæ, multis caſibus & inopinis contingentibus interceptæ atque impeditæ: reſpondeant ergo alij ex tripode; te Davum eſſe, non

non Oedipum; multò minùs Apollinem Delphicum. Hæc tu quidem in ſpeciem non minùs verè, quàm ſolidè; ſed mea opinione (ignoſce verbo) parùm erectè & conſtanter; cur enim turbemur inexſpectatis eventis, quę, ut ipſe fateris, non ſunt in noſtra poteſtate? cur de retriſtamur, cujus culpa ad nos non pertinet? aliud eſt ratione prudenter, aliud eventu feliciter concipere. An ideo ſementem jacere omittat colonus, quia ſpem meſſis eluſit & eliſit tempeſtas, ac injuria cœli? An neſcis illud Eccleſiaſtæ c. 11. *Qui obſervat ventum, non ſeminat, &, qui conſiderat nubes, nunquam metet.* An ideo compreſſis in ſinu manibus deſidendum, & ignaviâ torpendum, quia futura ſunt incerta, & noſtræ providentiæ non ſubjecta? ſapienter Cicero: *Quemadmodum gubernatores optimi vim tempeſtatis, ſic ſapientes fortunæ impetum ſuperare non poſſunt.* Per fortunam, non intelligo Deam illam ethnicorum cæcam, quæ vertit *ſuperbos funeribus triumphos*, ſed Divinam Providentiam, quæ *Attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.* Sap. 8. In hujus Providentiæ horologio deſcripti ſunt omnes hominum eventus, ſive proſperi, ſive adverſi; inſanus ſit, qui

erro-

erroris arguat artificem hujus & dire-ctorem machinæ. Hic locum habet illud commune verbum: *Homo proponit, DEUS diſponit.* Homo deſignat ſibi horas, & dies, & tempora, quibus propoſita & conſilia dimetitur; hunc rerum ordinē invertit Deus, &, quod in horologio Achaz factum, retrogredi jubet, quæ progreſſura videbantur. Limæi amici noſtri jacturam ego quoque doleo & miſeror, ſed has calamitates prævidere & timere debet, quiſquis per mare navigat. Jam venti, jam prædones illud infeſtant; jam cœlū & terra conjuratas iras in Neptunia regna exonerant; num igitur audax mortalium genus horrore periculorum timidiùs ſe credit undis?

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes. Horat. lib. 2. Epiſt.

Et dum infidos incuſat fluctus, quaſſas reficit rates, indocilis pauperiem pati; ut idem canit Ode 1. lib. 1. Quid autem novi eſt, ſæpiùs infelices eſſe matrimoniorum exitus? quia fruſtra ad libertatem aſpirant, quos vinculum conjugale ſemel ligavit. Ipſi ſibi, & diſcordiæ ſuæ imputent conjuges, cùm ja-

ſtant cervicem, & ferre, quod ultro ſubiêre, recuſant jugum. Ex fine & intentione, non ex ſucceſſu judicandum fuit tuum conſilium; inter ſoceros unionem ſpectabas, quæ, quòd non ſequeretur, vitio conjugum factum eſt; virtuti & ſapientiæ tuæ nihil inde decerpitur. Quòd autem Fridericus Achatij Pabulani filius in peregrinatione ad plures emigrârit, nihil inde noxæ ad te redit: multi, illô nobiliores genere & opibus, immaturo fato ſunt intercepti. Haud pauci ab exteris regionibus ſalvi & incolumes redierunt, quos domi mors oppreſſit, & ex lectulo ad lethum abire juſſit. Sapientis quidem eſt, quidquid homini accidere poſſit, præmeditari, non perinde tamen futura præſagire; inconſulta conſilia nonnunquam feliciter evadunt, & temeritas in gloriam cedit, an propterea prudentiæ laudem obtinebunt? Tullio teſte, *lib.9.ad Attic. epiſt.* 30. Nedum hominum humilium, ſed etiam ampliſſimorum virorum conſilia ex eventu, non ex voluntate, à plerisque probari ſolent; quibus ego imprecor illud Ovidianum:

-- careat ſucceſſibus, opto,
Quiſquis ab eventu facta notanda putat.

Potiùs audiendus Seneca: *Omnia honeſta opera,*

pera, inquit, ***voluntas inchoat, occaſio perficit. Laudanda prudentia, etſi eam fefellit exitus: nec infelix virtus amittit titulum gloriæ, nec gloriam virtutis interrumpit fortuita felicitas.*** Prudenter quidam è Macedonicis Ducibus Alexandro: ***Quis ſuadebit, ſi ſuaſiſſe periculum eſt?*** Multa ſalubriter concepta fruſtrantur in partu; intervertit ſæpe virorum ſapientum cogitata, vel invidia, vel neceſſitas, quæ voluntati & providentiæ noſtræ non eſt obnoxia. Si quid aggrediendum, ſive factis, ſive conſilijs, nec timidè, nec temere agendum eſt. Id quidem expreſſum ingeniosè in imagine ſymbolica per Perſeum contra Gorgonem Meduſam dimicanté, cujus colubroſum & monſtroſum caput ut amputaret, à Mercurio harpen ſeu acinacem, à Pallade ægidem accepit, quibus armis munitus, victoriam reportavit. Hujus emblematis inſcriptio hæc: ***Nec temere, nec timidè.*** Ne quid timoris heros admitteret, gladius ei Mercurialis animum addidit; ne quid temerarium committeret, Palladis clypeus ei ſapientiam contulit. Quod qui in conſilijs dandis obſervat, ut nec metū retardetur, nec temeritate inconſideratè proſiliat, quid is contra prudentiæ regulas peccat? quid pœni-

pœnitendum agit? oſtendat aliquando horridum vultum infelix exitus; Gorgoneum terrorem obijciat ſiniſter eventus; manet tamen ſua laus prudentię, quæ nihil inconſultè aggreſſa, nihil negligenter omiſit, quod ad præmeditationem & proviſionem earum rerum pertineret, quarum circumſpectio ad intentum finem ducit. Procul ab hac mente & linguâ vox illa inſipientium: *Non putâram*; conſilio eventus, non eventu conſilium ponderandum. Quam tu diligentiam & curam cùm in ſuadendo ſolerter adhibueris, quid eſt, quòd te pœniteat, ſuaſiſſe? an non Siracides? *Fili ſine conſilio nihil facies, & poſt factum non pœnitebis.* c. 32. Quomodocunque demum eveniant conſulta, depone angorem; feciſti, quod mens, ratio & judicium ſapiens dictabat. Ex principijs Ethicæ Venuſinus Poëta contra futurorum nimis anxiam inquiſitionem,

Prudens futuri temporis exitum
Caliginoſa nocte premit DEUS,
Ridétque, ſi mortalis ultra
Fas trepidat; quod adeſt, memento
Componere æquus, cætera fluminis
Ritu feruntur. Horat. lib. 3. Ode 29.

Præſentia licet nobis arbitratu noſtro diſpo-

nere,

nere, non moderari futura. Hæc Divinæ providentiæ relinquenda; ſicut fluvij, nunc levis & pacati, nunc rapidi & violenti curſum temperare non poſſumus, ita neque rerum futurarum eventus, nunc tranquillos & ſedatos, nunc concitatos & turbulentos, mortalibus immutare fas eſt. At quorſum ego hæc? an ut te admoneam, ſingulari prudentia, & exquiſito judicio virum? hoc equidem ſit, facem ſoli, undas Araxi inferre. Quod ſcripſi, debebam amicitiæ noſtræ, cujus tua erga me officia quia ſunt plurima, accipe gratam in reciproco affectu voluntatem, & cura, ut tibi, mihi, & bonis omnibus valeas, & inutiles angores tradas ventis, in mare Creticum ferendos.

XLIII.

ANTONIO FRONTONI,

Salutem.

Utrum dolores corporis graviores, an animi.

QUoniam delectant te epiſtolæ, non tam officiorum elegantijs comptæ, aut rerum novarum narratiunculis curioſæ, quàm

Philoſophorum doctrinâ eruditæ, perſcribendum tibi duxi, quid non ita pridem in diſputationem venerit, ſuper Quæſtione: *Utrùm dolores corporis graviores ſint perpeſſu, an animi?* Lycéum erat conclave, in quo ægrotus jacebat; lectulus cathedra, quam patiendo magìs, quàm agendo Philoſophia occupabat; diſputatores, ſubmiſſiore tamen voce, ne quid moleſtiæ jacenti crearetur, agebant amici quidam noſtri, Sacris profaníſque litteris egregiè exculti. Aſſederamus decumbenti Hippolyto Macrino, viro probo & docto; nomina eorum *Aloyſius Quietanus Chryſologus Foſſanus*, *Vitalis Rotarius*, *Angelinus Pecticampius*. Animus nobis erat, conſolationem adhibere ægrotanti. Poſt ſalutationem prima, ut fieri ſolet, ſciſcitatio injecta, quî ſe haberet, & quid maximè doleret. Ille alto cum gemitu illud in Pſalmis repetebat: *Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me.* Patior cruciatus vivus, ſentiénſque, haud abſimiles tormentis erebi, ſi æternitas abſit. Hîc *Aloyſius*, ut ipſe erat animi pacati, & nomini ſuo convenientis, ut ægrotum quoque pacatiorem redderet, mi Hippolyte, inquit, quàm noſtri cruciatus nulli ſunt, ſi ad inferorum ſupplicia comparentur;

tur; nemo ea vel cogitando, nedum fando explicet. Tum *Hippolytus* iterum profundiùs ſuſpirans, ô miſerum, ait, animæ meæ hoſpitium! vixiſſe malim, quàm vivere, ita me excruciat renum dolor, & veſicam infeſtans calculus, quem rectiùs ponderoſum lapidem appellârim. Verè *non eſt dolor, ſicut dolor meus.* Ad hæc *Poſſanus*, quàm multi ſunt, ô Hippolyte, qui graviora paſſi, dolorem tolerantiâ vicerunt! Jobum vel obiter cogita, morborum omnium theatrum, & morbidorum exemplum. Quod enim genus ægritudinum eſt, quo non ipſum exercuit Acheronticus tortor? Cruciabat pleuritis, nephritis, calculus, arthritis, podagra, chiragra, putredo viſcerum; verbo, merum pus erat, & ulcus; omnium cruciatuum ei cohors incubuit. Hoc exemplo firmanda eſt patientia noſtra, in hoc theatro perſona nobis quoque agenda. Non mihi ſunt fibræ ferreæ, inquit æger, non robur æneum, ut tanti Actoris partes, qualis Huſſæus Princeps fuit, mihi ſuſcipiendas, vel imponendas exiſtimem. Subjecit *Rotarius*: at neque ille exciſus erat ex Caucaſo, id quod de ſe fatetur in hiſtoria, & longa ſerie calamitatum ſuarum: *Pelle & carnibus veſtiſti me; oſſibus & nervis compegiſti me.* Senſit enimverò

verò dolores, ſed fortior ijs extitit, & acerbiora,, quàm profana philoſophia concipere potuit, invictâ conſtantiâ pertulit. Tum Hippolytus: non potuit tamen ille dolorum victor, quin in queſtus ora laxaret, & in miſerias ſe natum deploraret. Angelinus, ut aliquid concederet dolenti, ſubjunxit: verè pronuntiavit Plato, quando corpus humanum omnium miſeriarum officinam appellat; in hac tamen officina, Chriſtiana patientia elaborat coronam ſideribus inferendam. Hoc ipſum corpus, inquit Aloyſius, palæſtram dixeris, in qua cum doloribus luctatur tolerantia, palmam refert conſtantia. Quidam vocavit ſtadium, in quo curritur etiam ſine manuum & pedum uſu; bravíum eſt, cæleſte præmium. Sub hæc *Poſſanus*: Eſt, qui hanc corporis noſtri compagem nominavit organum, quod, doloribus pulſatum, ſonitum edit, dulcem, ſi DEI voluntati conformem; diſſonum, ſi ab ea diſcordet. Lemma additur: *Multo fit plauſus ab ictu.* Stateram alius ægrotantis lectulum vocavit, in qua virtus appenditur, quid ferre vel valeat, vel horreat. Hîc *Rotarius*: hanc ipſam Corporis noſtri ſarcinam non nemo pharetram nuncupavit, ob mærores & angores omni gladio ancipiti

penetrabiliores. David has ſagittas ſentiens exclamavit: *Sagittæ tuæ acutæ.* *Angelinus* occaſionem, ait, his verbis præbes, Vitalis, ut affirmare non dubitem, animi dolores & ægrimonias longo poſt ſe intervallo relinquere cruciatus corporis. DEUM ipſum teſtem habemus in clivo olivario ingemiſcentem: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Matth. 26. animi namque vulnera vincunt omnem doloris corporei acerbitatem. Siracides ait: *Omnis plaga, triſtitia cordis eſt.* c. 25. v. 17. *Hippolytus:* Toto corpore langueo. *Aloyſius:* Si non languet corporis hoſpes animus, bene eſt, quidquid tuguriolo ſuo evenerit. *Hyppolitus:* Verè Seneca, *Nullus vitam accepiſſet, ſi daretur ſcientibus.* Id ego nimis quàm luculenter experior. *Foſſanus:* obfirmatus ad patientiam animus, mitigat dolorem. *Hippol.* Aliter hæc diſputantur in ſcholis, aliter ſentiuntur in lectis: ſenſibus meis credo. *Foſſan.* Senſuum fallax eſt judicium. *Hippol.* Ita quidem Philoſophus quidam olim de Phalaridis tauro loquebatur; & alius corpus follem dictitabat, quòd, licèt in mortario tuſum, ad animum non penetraret. Ego aliter judico. *Foſſan.* Quid poſſit animus fortis in dolores, etiam gentiles do-

cuerunt. De C. Mario referunt hiſtoriæ, eum, cùm tibiæ varices ſecarentur, vetuiſſe ſe alligari. Recentius & majus eſt, quod de adoleſcente quodam, nobili ſtirpe nato, legitur; cui dum putridum crus amputandum, & candenti ferro adurendum eſſet, non tantùm noluit ligari, ſed ſerena fronte teſtudinem poſtulavit, atque ita fides tetigit, ut modulatum nulla vis doloris turbaret. *Engelgrave Lux Evang. P. 2. Dom. 2. Quadrag. §. 2.* Ex quo conſequitur, ſenſum doloriferum maximè in apprehenſione mentis conſiſtere; quæ quantò nobilior eſt quàm corpus, tantò perpeſſiones ejus graviores ſunt, & vehementiorem faciunt impetum. *Aloyſius*: In eandem concedo ſententiam, & animi cruciatus corporeis præponderare aſſero. Jobus, de quo mentio injecta eſt, tametſi diriſſima quædam corpore pertulerit, horridiora tamen, credo, fuiſſe, quæ in animum ſæviebant. Quid enim aſperius toleratu, quàm Virum Principem, è faventiſſima fortuna ad extremam inopiam, & fimetum uſque deijci? quid indignius, quàm lautis in rebus nuper dominantem, velut vivum cadaver ab amicis & domeſticis deſeri, & velut funus ante funus efferri? quid toleratu difficilius, quàm à conjuge (quæ ſola in tam magna

magna familia, levaminis cauſâ relicta videbatur) convitijs impeti, & amaros ſarcaſmos audire? Hæc nullum quidem in corpore vulnus faciunt, nullos cruciatus inferunt, ſed virum etiam fortiſſimum de robore & conſtantiâ animi dimicare cogunt. *Hippol.* At ægritudines animi ſola voluntate curari poſſunt; cruciatus corporis etiam inviti perferre cogimur. *Rotarius*: Atqui haud pauci ſunt, qui voluntatem & imaginationem faciliùs à ſenſu doloris, vulnerum & plagarum abducunt, quàm qui eam à perturbatione iracundiæ, ambitionis, avaritiæ, invidiæ, triſtitiæ, ſpei, timoris, odij, amoris abſtrahunt. Ægritudo animi eſt illa aquila, quæ Promethei jecur; ille vultur, qui Titij viſcera corrodit, exedit, depaſcitur. Senſit has feras infelix ille Cainus, primus parricida, cui poſt invidentiam fraternæ probitatis, & apud DEUM gratię, poſt cædem patratam, *concidit facies*; pallor, macies, & perpetuus tremor prodiderunt, qualibus intus tormentis excruciaretur; ipſe ſuî carnifex, tortor, & dirum ſupplicium; clamor innocui ſanguinis vagabundum & deſperabundum circumegit, & coëgit

Nocte, diéq; ſuum geſtare in pectore teſtem,
Occultum quatiente animo tortore flagellũ.

Si Procopio apud Cornelium in 4. Gen. credimus, ubique exagitabatur, &, cùm oculos in terram deijceret, contra ſe ſerpentes veneno, leones dentibus, unguibus urſos, tauros cornibus, calcibus equos in ſe irruere; cùm lumina cœlo obverteret, fulmina, & extrema quæque intentari videbantur. *Aloyſius*: Non mitiùs affligitur, quem arcanis ſtimulis Ambitio fodicat. Exemplo eſt Aman, ille ſatraparum apud Aſſuerum Regem Princeps; omiſſa Mardochæi genuflexio quantis tumultibus pectus ejus implevit, quibus æſtibus jactavit, quo pudore & vindictę æſtu animum verſavit, diversíſque miſcuit affectibus? Unicus ſperatæ reverentiæ neglectus adeo hominem ambitioſum furiavit, ut in tantis opibus & honoribus, quibus in Aula florebat, *nihil ſe habere putaret, quamdiu viveret Mardochæus:* atque hunc, quem interpretabatur, contemptum tam indignè tulit, ut furori ſuo univerſam Hebræorum in provincijs Aſſueri gentem immolare cogitaret. Achitophel quoque è primis Davidis conſiliarijs, ſuum ab Abſalone ſpretum conſilium præ impotentia faſtûs & arrogantiæ non ferens, ſibi gulam laqueo fregit. Haud leniores ſunt cruciatus & interna illorum tormenta, quos cupido

pido habendi exagitat; aſſiduis curis & angoribus velut in rota Ixionia gyrantur, ut vel acquirant, quod nondum habent, vel augeant, aut certè non amittant, quod habent. Hoc Poëtæ per fabulam Tantali, poma capiti imminentia captantis, expreſſerunt. Quis atrociora in lecto inter corporis dolores ſuſtinuit? quem morbi ita torſerunt, ut Euclionem lucri cupidum fruſtrata deſideria ſua? *Foſſanus:* Quod Satyricus de livore dixit, hoc de triſtitia quoque eluſæ ſpei, de terrore im̃inentis mali applicare licet:

Invidiâ Siculi non invenêre tyranni
Tormentum majus.

Mæror ubi ſemel animum occupavit, vitam ipſam reddit odioſam. Poëta vocat *triſtem ægrimoniam*, Horat. Epodon. Ode 17. *quemcunque oppreſſit, volet modò altis deſilire turribus, modò pectus enſe recludere, modò vincla gutturi nectere.* Hippocrate teſte, ubi hæc anxietas animum corripuit, *lucem atque homines fugit, & tenebras amat, timor invadit, ad contactum dolet & expaveſcit, terriculamenta horrenda videt; hæc homini tabes & lethale venenum eſt.* Veteri jambo:

Metus futuri gaudium omne ſtrangulat.

Siracides ait : *Multos occidit triſtitia.* cap. 30. v. 25. Eſt ſerra, quæ paulatim animam à corpore dividit; eſt carnificina, quæ dilacerat omnes vires & facultates hominis; *eſt ſpiritus exſiccans oſſa*, Prov. 17. eſt tinea, interiora depaſcens; eſt teredo, medullas abſumens; eſt proles malæ conſcientiæ; eſt perpetuum ſpectrum, pavorem & metum ſupplicij incutiens. De hac lue infectis Juvenalis Sat. 13.

Hi ſunt, qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent,
Cùm tonat, exanimes primo quoque murmure cæli.

Exempla volumus? Caligula Imperator ſceleratus ad minima tonitrua & fulgétra, caput obvolvere, ſub lectum ſe condere, in ſubterraneas cellas refugere, corde compaveſcere, triſulcum Jovis telum formidare. Sueton. c. 50. Artemon homo improbiſſimus, ſemper lecticâ vehebatur, & domi conſidens duos è famulis ſcutum ſupra caput obtendere jubebat, ne quid ex alto decideret, aut improviſo feriret, Cauſſinus in ſymb. Dionyſius Syracuſorum tyrannus, tonſoris metu, tondere filias ſuas docuit, nec his adultis ferrum auſus eſt committere, ſed loco novaculæ,

vaculæ, candentium juglandium nucum putaminibus barbam ſibi & capillos aduri volebat; lectum, quaſi caſtra, latâ foſsâ cinxit, in quem ſe ligneo ponte adducto recipiebat. Clearchus, Ponticus Tyrannus, ſe omni tempore ſerpentis in morem convolutus, ſe in aream condebat. Argivus Ariſtodemus penſili porta, ſcalis ſubtractis, gallinarum inſtar ſe in ſuperius cænaculum abdebat, ne qua vis ſubitò ingrueret, ut meritò dubites, an hanc inſaniam Heracliti potiùs lacrimis, an Democriti riſibus excipias; digni profectò ſtultorum ergaſtulo, in quo *Ultrices poſuêre cubilia curæ*, *Timor* & *Metus* intentant pœnas, & futuris dejecto animo nullam quietis partem concedunt; quo quidem ſupplicio, neſcio, an majus ſit, ullíve corporis dolores cum eo conferendi? *Angelinus*: At, meâ quidem ſententiâ, crudeliorem tyrannidem exercet in mentem ſibi ſubditam impurus & laſcivus amor. Hanc peſtem luculenter depingit Comicus in Comœdia, quam vocat *Ciſtellariam*. Ignoſcite, ſi paullò plura ex ea recito, eſt enim pictura ad vivum expreſſa. Alceſimarchus nominabatur adoleſcens, cujus jecur Cupido improbis aduſſit flammis: ejus verba ſunt:

Cre-

Credo ego Amorem, primam apud homines carnificinam, commentum.
Hanc ego de me conjecturam domi facio, ne foris quaeram.
Qui omnes homines ſupero atque antideo cruciabilitatibus animi:
Jactor, crucior, agitor, ſtimulor, verſor in amoris rota miſer,
Exanimor, feror, differor, diſtrahor, diripior, ita nubilem mentem habeo.
Ubi ſum, ibi non ſum: ubi non ſum, ibi eſt animus.
Ita me amor laſſum ludificat, fugat, agit, appetit,
Raptat, retinet, jactat, largitur; quod dat, non dat; deludit:
Modò quod ſuaſit, diſſuadet; quod diſſuaſit, id oſtentat.
Mihi nulla abeſt perdito pernicies.

Hem cruciatus & equuleos hominis veſano amore jactati, raptati, dilaniati, & inſtar Hippolyti aut Metij Suffetij in diverſas partes à perturbationibus, veluti equis in abrupta concitatis, diſtracti. An eſt ulla miſeria corporis, quæ cum his ærumnis & jactationibus conferatur? Infeliciſſimi profectò mortalium, qui ſuis affectibus in tranſverſum

verſum acti, coguntur irrequietas tolerare, non dicam dies & noctes, ſed horas, & horarum diviſa ſpatia! Quàm contrà felices illi, qui ſciunt dolores corporis in lucra animi vertere, virtutis aurum è languidis membris effodere, & in infirmitate fortes eſſe. Et quis miſeros ac calamitoſos illos dixerit, quibus animus rectè conſcius eſt quoddam in æſtu refrigerium, in luctu ſolatium, in tormentis lenimen? Quorum in numero, cùm tua te virtus, Hippolyte, repoſuerit, habes potiùs, cur Numinis in te clementiam agnoſcas, & lætus grates agas. *Hippolytus:* Equidem veſtrum hoc colloquium eſt mihi inſtar blandè ſibilantis auræ, quæ pectoris intima permeat, & urentem lectulum] roſis inſternit; eſt velut ſchola, in qua melior philoſophia docet patientiam. *Aloyſius:* Gratum nobis erit, ſi qua acceſſio ex noſtro ſermone ad aliquod tibi levamen facta ſit; neque exiſtimes, hujus diſſertatiunculæ ſcopum fuiſſe, quaſi doloris omnem tibi ſenſum excutere vellemus, ſed ut illius acerbitatem leniremus, mentiſque infractæ celſitudinem etiam in fracto corpuſculo ſuſpiceremus. Domi tuæ, quod Pecticampius dixit, conſolatorem habes integram conſcientiam, ſceleríſque

que

que puram; hæc tibi mœrores abſtergit, hæc triſtitiæ nubes diſpellit, pectoris anguſtias laxat, aculeos morbi mitigat, mentem ſerenat, & vires adversùs ægrimoniam confirmat. *Hippol.* Gratias ingentes pro amiciſſima viſitatione: juvabit hujus collocutionis meminiſſe; videor jam levamen perſentiſcere; veſtræ humanitati in acceptis refero, quidquid ſolatij & lenimenti acceſſit mihi. Valete viri optimi; ego quoque, ſi non ut volo, certè ut poſſum, & quidem meliuſculè, veſtra diſſertatione excitatus, valebo. Me demiſsè & enixè in omnium preces commendo. *Aloyſ.* Te citò convaleſcere optamus. Vale. *Foſſanus*: DEUS faveat noſtris votis, ut nos favemus tuæ valetudini. *Rotarius*: Vale. *Angelinus*: Vale. Atque his in hunc modum dictis ac diſputatis, redeo ad te, Antoni, cui epiſtolam inſcripſi; ſi æquô prolixiorem, id prolixo meo in te affectui imputa. Commendo tibi Charinum, Præceptorem domeſticum, ad ſacros Ordines aſpirantem; cui ſi de toga Eccleſiaſtica provideris, gratiam à DEO inibis. Franciſco tuo, meóque, libellum hiſce accluſum xenioli loco trade, qui eſt de *Imitatione Chriſti*, ut inde maturè diſcat *virtutem, verúmque*

rúmque laborem cœlo impendere. Cura moneri operas Typographicas, adjuncto etiam auctario mercedis, ut diligentiam & accurationem in epiſtolis meis typo imprimendis adhibeant, & opus maturent. Typotheta præſertim adhortandus, ut quàm emendatiſſimè Characteres collocet, ne libro erroribus & mendis infecto accidat, quod Martialis ſuo minatur:

Ibis ab excuſſo miſſus in aſtra ſago.

Quanquam juxta eundem:

Non opus eſt nobis nimiùm lectore guloſo;
Hunc volo, qui fiat non ſine pane ſatur.

Nucleum in epiſtolis, non corticem quæro. Bibliopegus quoque urgendus, ut conſuat Hungarico-Turcicam noſtri temporis hiſtoriam; nam libri novitas & curioſitas orexin excitabit legendi. Horologopæus acceptam à me ante aliquot ſeptimanas machinulam horariam expediat, delirantes rotulas recomponat, & ad motus, dimenſis intervallorum ſpatijs ciendos, reducat; ignoſce, has negotiorum minutias committenti; novi famulum tuum Staſimum, ut figularis rota in obeundis hujuſmodi negotiolis circumagitur. Saluta ex me communes amicos; tu præcipuè ſalutem tuam cura, & mihi non diu pòſt

reſcribe

reſcribe. Sed quid? pænè omiſeram. Martianus rediit ex Ungaria, ſalvus quidem, ſed truciore vultu, & horridis capillis, ut ipſa ſpecie externa videatur militarem terrorem incuſſiſſe hoſtibus; mira narrat de bello Turcico, quæ memorare ſuperſedeo; ipſe enim tibi referet, & aures periculorum horrore delectabit.

XLIV.

EUTROPIUS PARENS TIBURTIO FILIO.

--- Sapientia prima,
Stultitiâ caruiſſe. Horat. Epiſt. I.

INfelices dicuntur eſſe Reges, quòd in ſumma rerum abundantia egeant, à quo verum audiant. Hac tu penuria videris laborare, & te ipſum non nôſſe, vel quia non eſt, qui tibi *vellicet auriculam*, & te ipſum tibi oſtendat; vel quia tu adeo ſurdus es, ut meliora monentes auſcultare nolis. Satis diu hanc tuam vecordiam diſſimulavi: Jam urget me conſcientia mea, & improbitas tua, ut, quis & qualis ſis, partim ex mea, partim aliorum

aliorum obſervatione tibi commonſtrem. Tecum Latinè, ut veteres dicebant, hoc eſt ſine ambagibus, prout patrem decet, loquar, ne excuſes ignorantiam. Pridem erat tempus fatuitatem tuam agnoſcendi & emendandi: *Sapientia prima*, inquit Venuſinus Poëta, *Stultitiâ caruiſſe*; quamdiu hanc non exueris, nihil de ſapientiâ ſpera: juxta eundem,

Sincerum eſt niſi vas, quodcunque infundis, aceſcit.

Liquor balſami excipiendus mundiſſimâ conchâ; priùs carendum eſt ſtultitiâ, quàm ſapientiæ gradus ullus obtineatur; antè repurgandum ſolum jaciendo fundamento, quàm ſtructura inchoetur. Eſt autem ſtultitia multiplex, quam in ſacratiore Ethica deſcribit Salomon. Non pigebit eam tibi explicare, aut potiùs exprobrare, ut erubeſcas, & tacita pudoris confeſſione te ipſum reprehendas, & ad frugem revoces. *Primum* ſtultitiæ indicium (enumerabo, ut in digitos referre poſſis) eſt, animi ſenſus temerè effutire, & quidquid in buccam venerit, proferre; præcipitem eſſe in loquendo, ſubitò proſilire ad dicta non dicenda. *Os fatuorum ebullit ſtultitiam.* Prov. 15. v. 2. perinde

 habet,

habet, ſeu opportuna, ſeu importuna garriat; cùm tamen, vulgari dicto, antequam verba ſemel ad linguam, bis ad limam vocanda ſint. Accedit Siracides c. 21. v. 28. *Labia imprudentium ſtulta narrabunt; verba autem prudentium ſtaterâ ponderabuntur.* Illi præmeditatè, graviter, ſapienter, & quaſi ad trutinam dicenda expendunt; iſti verò inconſideratè, incogitanter, imprudenter expromunt, quod pectore clauſum eſſe oportuiſſet: pariunt, ut dicitur, antequam parturiant; arcana mentis tanquam immaturum fœtum effundunt, & imperfectos conceptus, velut abortivos, in lucem edunt. An non in hanc ſtultitiæ claſſem tu referendus, qui nuperrimè inter æquales jactâſti, parentis tui merita tanti eſſe apud Principem, ut hiſce ceu ſcalis facilè ad magnos honores eniti poſſis. Quid quæſo imprudentius? quid odioſius? quid aliud ab æmulis, quàm dicteria & ſcommata exſpectes? Per Templum Virtutis & Sapientiæ ad Templum Honoris ingrediendum eſt; ab utroque excludit te inſipientia tua. *Altera* Nota eſt *Stultitiæ*, quòd nimis ſis credulus, & quibuslibet dictis adhibeas fidem. Reprehendit hanc vecordiam Regius Hebræorum

bræorum Philoſophus Prov. 14. v. 15. *Innocens credit omni verbo ; aſtutus conſiderat greſſus ſuos.* Et Eccleſiaſticus c. 19. v. 4. *Qui credit citò , levis corde eſt.* Eſt autem teſte Seneca, *Et omnibus*, & *nulli credere*, vitium. Cautus & callidus homo priùs velut in cribro ventilat grana & paleas, & à ſe mutuò ſecernit , fruges retinet , quiſquilias reijcit ; prudentis eſt prævidere ruinas, quæ ex præcipiti credulitate ſolent oriri. Maximè cavendi ſuſurrones, qui blandis verbis ſeſe in amicitiam inſinuant, falſis narrationibus aures fricant, adulando & aſſentando commutant candida nigris ; quibus volupe eſt mentiri, fallere, alios circumvenire, & longo, quod dicitur, ductare naſo ; pro libidine ſua laudare, vituperare , & palpum obtrudere. Ad pœnitentiam properat , qui citò judicat : mille hinc errores, & deceptiones. In hac inſipientium navi etiam tu veheris, qui fucatis laudibus & vituperijs tibi ſinis os ſublini, & marſupium excantari. Quàm illud ſtolidè, quòd paucis abhinc diebus duo quidam ignoti congerrones , in familiaritatem tuam illapſi , neſcio quas fabulas de cognato noſtro Severino, Coloniæ Ubiorum in ſtudijs verſante, narrârunt, ejus

in ſe beneficia recenſuerunt, multùm ſe ideo benefactori obnoxios profeſſi: ut rem verbis adjungerent, cænulam in publico hoſpitio curant parari; te convivam invitant. Tu quid? Credidiſti, condixiſti, veniſti, accubuiſti. Circa finem epuli, illi clàm dilapſi ex ædibus & urbe ſe ſubduxerunt, te pignori reliquerunt. Exegit caupo ſymbolam pro tribus, à te, imò à me ſolvendam; quî poſſem enim aliter, niſi in litem cum œnopola venire vellem? Præter damnum jam tu riſus es & fabula. Quid enim ſtolidius, quàm peregrinis ſycophantis, tanquam modium ſalis cum illis linxiſſes, præbere fidem, & nare eſſe tam craſſa, ut non ſuboleres fraudulentiam? *Tertium* ſtultitiæ ſignum eſt, quòd præclarè ſapere tibi videris, & alios aſpernari, tanquam Athenis ex Lycéo Stagiritæ, aut Platonis Academiâ reverſus ſcientiarum theſaurum domum apportâſſes. O miſerum te, qui neſcis, quantâ inſcitiæ labores in charybdi! Cupreſſo ſimilis eſt hæc vanitas, quæ ſublimi ſurgit in cœlum, compoſitóque vertice, & neſcio quid egregium videtur polliceri, quâ tamen vix ulla arborum eſt ſterilior. Audi Ethicum Salomonem: *Homo verſutus celat ſcientiam: &*

cor

cor inſipientium provocat ſtultitiam. Prov. 12. v. 23. Vir prudens & modeſtus non jactat, non oſtentat eruditionem ſuam, ne contentiones & lites inter æmulos creet; doctis & rerum peritis riſum moveat jactantiæ: inſipiens verò & inops judicij, tum ſuam prodit ſtultitiam, tum alienam provocat, dum inani oſtentatione arrogantioribus, hoc eſt, ſuî ſimilibus ſtomachum movet, indignationem provocat, eóſque ad obtrectandum & obloquendum laceſſit. Hîc duplici tu nomine reus es, qui de te prædicas, quæ falſa ſunt; unde enim tibi laus & præconium ſcientiæ? an fortaſſe cum Heſiodo in Parnaſſo ſomniâſti, & una nocte ex ſtultitiæ ludo in Candidatum ſapientiæ evaſiſti? deinde, etſi aliquid ſupra vulgum ſaperes (cujus tamen experimentum requiro) quid vanius & fœdius, quàm ſe ipſum inſtar bullæ inflare, & ſpumas attollere, mox perituras? hoc pueros delectat, non ſapientiæ Conſultos, qualem tu te ſtolidè profiteris. Tene illud Horatianum Epiſt. 18. lib. 4. ſi vis ſapere:

Nec tua laudabis ſtudia, aut aliena reprêndes.

Quartum ſtultitiæ argumentum: Increpationes odiſti; arguentes ridendo illudis. Veri-

ridicum Hagiographum attende: *Qui diligit diſciplinam, diligit ſcientiam: qui autem odit increpationes, inſipiens eſt.* Prov. 12. v. 1. Etiam ab hac mentis labe tibi recedendum eſt, ſi prima Sapientiæ limina deſideras accedere. Indicium bonæ indolis eſt, ut, qui ab officio & recto aberrat, ſinat ſe corrigi, libentíque animo reprehenſionem admittat. Deſperatè ægrotat, qui reſpuit pharmacum; nunquam ſe in virtutis & honeſtatis viam transferet, qui ducem recuſat; fruſtra ſperat Sapientiæ doctrinam, qui Magiſtrum averſatur. Nolle inſtrui, & dirigi, ſtoliditatis eſt Inſigne; terra, quæ ſarrientis manum refugit, lolio & tribulis obducitur. In Cimmerijs tenebris palpabit, qui oculos facem præferenti claudit; inter ſtultos anteſignanum aget, qui non tantùm meliora monentem non audit, ſed etiam ſibilis excipit, & cum expoſtulatione repellit. Reprehenſio & diſciplina idem ſunt menti ingenuæ, quod gemmæ & uniones in ornamenta auribus appenſa; homini pervicaci & obſtinatæ cervicis ſi offeras has margaritas, retorquebit collum, non ſecus, acſi eas in lutum coram porco projeciſſes. Equus effrænis contra eum calces elidit, qui pro munimine

pedum

pedum vult ſoleas ferreas inducere. Etiam in hoc ſtultitiæ genere tu non ſemel peccâſti: meminiſtíne, quid proximè ad me ſcripſerit tuus paterfamilias, à quo, cùm ſeram ſub noctem domum rediens amicè monitus eſſes, ut tempeſtiviùs de cetero referres te in ædes, antequam obſeratis foribus eſſent clauſæ, tibíque non ſine moleſtia & domeſticæ diſciplinæ diſpendio reſerandæ, cæpiſti tu inſtar galli Africani collum inflare, jactare caput, in voces erumpere inſulſas, & viro honeſto non ferendas; cúmque admonitioni ſuæ auctoritatem meam prætenderet, auſus es etiam me nimiæ ſeveritatis & rigoris arguere, ut qui pridem manum ferulæ ſubduxeris, neque paſſurum te cippo vel ergaſtulo includi, conceſſáque juvenili ætati libertate privari. Bellè profectò in ſtultitiæ ſchola profeciſti, & ad Sapientiæ tirocinium te præparâſti. Pudeat te hujus vecordiæ, & illud ex ſacris proverbijs in mentem revoca: *Dolor patris, filius ſtultus.* cap. 19. v. 13. Aliud, & quidem ordine *quintum*, in tuam ſtoliditatem convenit encomium: *Fatuus ſtatim indicat iram ſuam; qui autem diſſimulat injuriam, callidus eſt.* Prov. 12. v. 16. Hoc diſcrimine ſapiens à ſtulto ſecernitur.

nitur: ille enim, aſperiore verbulo læſus, ſtatim excandeſcit, iras coquit, vindictam ſpirat; hic dat ſpatium animo, cohibet linguam, oris claudit oſtium, nequid effutiat per iram, impatientiam, præcipitantiam, levitatem, quod audientem offendere poſſit. Stultus injuriam etiam putatitiam recogitat, exaggerat, animum magis ac magis inflammat; ſapiens rationes excogitat, quibus illatam injuriam extenuet, offenſam minuat, indignationem reprimat, aut emolliat. Stultus turbatione vultûs, verborum, geſtuum, vocis indicat, qualis ſit intus, quàm turbida tempeſtas; ſapiens gliſcentes igniculos maturè extinguit, & non ſinit in flammam ſuſcitari. Hîc denuò ſpeculum oculis tuis oppono, in quo te contempleris, & inopiam mentis deprehendas. Nam quid egiſti die S. Martino Epiſcopo feſtâ, cùm vocatus à cognato noſtro Marcellino ad cœnam, multa thraſonicè de arte digladiandi memorâſti; cúmque convivarum aliquis interijceret, ſibi præ gladiaturæ armis probari cultros coquinarios, anſerum jugulum petentes, ſtatim exarſiſti, & talia dicta ad ignaros & ignavos pertinere dixiſti; athleticam & pugillatoriam etiam à veteribus Romanis magni æſtimatam,

Digitized by Google

matam; palæſtritas artis peritos magnis ab eis honoribus & præmijs affectos. Majores noſtros Germanos inſtituiſſe publicos ludos gladiatorios, avidè ſpectâſſe, victoribus applauſiſſe, & ex umbratili pugna generoſos bellatores in aciem eduxiſſe; nunc poſteros adeo degenerâſſe, ut meliùs ſciant de verubus & cacabis, quàm pugillatu diſputare. Subjecit alius, videri importunum, de gladiatorum ictibus & vulneribus ſuper menſam ſermonem inferre, & caſtra mero pingere. Quid ibi tu? tibi non promptiorem linguam ad provocandum, quàm dextram ad dimicandum eſſe jactâſti; deſcenderet tecum in arenam, qui vellet experiri, quàm præſens tibi animus eſſet in corpore, quæ dexteritas in armis. Subriſerunt ſcilicet ad hæc diſcumbentes, & novumPyrgopolinicen, totas legiones ſpiritu difflantem, mirabantur. Tu mox iracundiâ exæſtuans reſpondiſti: leoni cum leporibus non eſſe accumbendum. Vides hîc, quàm multa à te peccata? Nam primò innocuos in hoſpitali menſa jocos in ſerium vertiſti. Deinde falsò te ab arte jactâſti, quam nunquam didiciſti. Tertiò, ſtolida provocatione commotionem animi demonſtrâſti. Quartò apud amicos no-

men tibi inepti thraſonis comparâſti. Hem multiplicem ſtultitiam! *Sextò, in via ſtultus ambulans, cùm ipſe inſipiens ſit, omnes ſtultos æſtimat.* Eccleſi. 10. v. 3. Etiam hoc telum te petit; ſtulta perſuaſione & philautiâ laboras, tanquam tu ſano ſis cerebro, & ſagaciore mente præditus; reliqua pars hominum pleraque deficiat ingenio, & ſale prudentiæ careat: ut adeo tibi occini poſſit illud Martialis.

Et cor ſolus habes, ſolus & ingenium.

Qui palatum habet infectum, ſaporem dulcem æſtimat amarum, &, qui conſpicilijs utitur coloratis, omnes alios illo colore pictos credit. Obſervatè notanda verba: *Stultus in via ambulans;* nam qui ſe ducem ſequitur, ſtulto ducatum præſtat, &, cùm ipſe à recto itinere deflectat, alios aberrare cenſet, qui non eadem veſtigia premunt; plaudit ſibi ipſe domi, reliquos exſibilat tanquam mentis egentes. Facit hoc cæcus amor ſuî, de quo Horatius:

Stultus & improbus hic amor eſt, dignúſque notari.

Cujus ſunt illa apud Plautum verba:

Mihi ego video; mihi ego ſapio; mihi Ego credo plurimùm.

Si-

Simiarum hoc eſt, quæ ſuos fœtus (pulchritudinem nempe admirantes) defixis oculis intuentur; ſic matres Alpinæ tumidum prolis guttur dilaudant, & mancum dicunt ſine ſtruma collum. Virtutem & vitium pari pede metiris, & utrobique præpoſtero judicio deciperis, alióſque tecum is deceptum. Satis conſtat, à te, quippe ſapiente, deriſum contubernalem, tanquam ſtultum, qui rationes dati & accepti parenti reddendas cum fide tranſmiſit: exceptæ ſunt voces tuæ, non ita delirum te eſſe & ſimplicem, ut occaſionem negligas, faciendi lucri etiam ex paterno marſupio; hunc jam uſu teneri ſtilum, ut in rationarijs chartis, patri exhibendis, miſceantur quadrata rotundis, frigida calidis, oculis objiciatur glaucoma, offuciæ auribus; eum, qui ſapiat, expenſas in aleam & ſympoſia factas medicamentorum ſumptibus adſcribere; morbos etiam à valentiſſimis eſſe ſimulandos, qui pharmacis haud vulgaribus erant curandi; Medicorum avaritiæ imputandum, ſi quid videatur nimium; ſingulos ad ægrotum paſſus ad menſuram exacti pretij ab ipſis numerari: hanc artem factitandæ pecuniæ qui non callet, *vervecum in patria, craſſóque ſub aëre natum.* Hæc vide-

videlicet eſt tua ſapientia ; hoc judicium, quo verum à falſo, bonam indolem à perverſa ſecernis. Si quis alius, tu helleboro indiges, qui non intelligis, paterni peculij damnum in tuum detrimentum vergere. Ita ſolet accidere, cùm nobis ipſis regulam fingimus, ad quam metiri quidlibet & mentiri liceat. Te ipſo monitore & indice, de cætero meas ego rationes opponam tuis, & à pharmacopæo, Doctoréque Medico, chirographum exigam, ad me certo nuntio deferendum, quid denique ſit illud, quod tua malitia & ſimulatio comminiſcitur ad peculium meum exhauriendum. Plura ſcribere indignatio me prohibet ; ſi ſapere inciperes, ſatis ſcripſiſſem ; ſi pergis ſtulteſcere, nimis parùm.

XLV.

RESPONSORIA ad priorem epiſtolam.

TIBVRTIVS FILIVS
Eutropio parenti chariſſimo
Salutem.

JAm tribus noctibus inſomnis cubavi, poſtquam accepi epiſtolam tuam, tot mucronibus, quot verbis aculeatam. Niſi pro me loqueretur conſcientia, vererer, oculos tuos etiam per litteras ſubire. Invidia, malevolentia, ſiniſtra ſuſpicio, falſa delatio impingunt mihi delicta, quæ, te quoque Judice, non difficulter purgabo. Primum eſt, quòd inconſideratè & inconſultè quidlibet effutiam, multáque proferam pœnitenda; adducis in exemplum, me tuis in Rempublicam meritis gloriatum, facilem ad Principis gratiam & honores acceſſum habere. Quæ verba nunquam mihi in mentem, nedum in linguam venerunt; hoc dixi, ad dignitates conſequendas maximum momentum in Principis gratia eſſe poſitum, quæ præ ceteris obtingit ijs, quorum parentes, vel propinquitate annexi, bene meriti ſunt de Bono communi.

Tuum

Tuum verò, vel meum nomen nunquam in ſermonem adduxi, probè gnarus, invidioſum eſſe, à genere ad particularia deſcendere; de Principum favore, nimis quàm inconſtanti, ſe jactare, eique ſpes ſuas ſuperſtruere.

Altera objectio æquè frivola eſt, quaſi temere fidem adhiberem quibuslibet dictis; condixiſſe me ad cœnam duobus peregrinis ſycophantis, & cum ijs in caupona diſcubuiſſe, illos verò clàm elapſos me pignori reliquiſſe. Fabulam audiviſti; illos enim duos advenas impoſtores nunquam vidi, nullum cum ijs verbulum commutavi. Hoc fateor, me tempore Bacchanalium in taberna vinaria cum duobus amicis merendulæ veſpertinæ aſſediſſe, & debitam unius floreni ſymbolam, oblivionis vitio, non expunxiſſe, quem importunitas œnopolæ à te exegit, modeſtiùs acturus, ſi me priùs compellâſſet. Sed hi ſunt horum hominum mores; lucri ſtudio præcipites feruntur, & facta infectáque, ut rem augeant, perinde habent, ac loquuntur.

Tertium delictũ exprobratur, quòd mihi eruditionem arrogem, quâ careo, & vana oſtentatione aliorum indignationem provocem; ſed quia nec locus, nec tempus, nec perſonæ, nec ulla circumſtantia exprimitur, ignoſces, credo,

credo, ſi calumniam in auctores retorqueo. At etiam pervicacioris cervicis inſimulor; nolo reprehendi; ſum aſper monitoribus; eos cum contemptu, & irriſione reijcio. Ejus rei argumentum inter alia fuiſſe, quòd in convictum ſerâ de nocte reverſus, patrisfamilias humanitaté, amicè me admonentis, ſuperbè repulerim, altercari cæperim, & ad jurgia etiam contumelias addiderim. Ab hac quoque criminatione abſolvit me innocentia mea, & accuſatorem facit reum. Nam primò, nunquam ad uſque provectiorem noctem domo abfui; ultra pulſum æris cluſilis nunquam foris moras traxi. Tota hæc culpa penes patremfamilias reſidet; is enim probè appotus, cùm me in cœna deſideraret, juſſit obdi peſſulum foribus ædium, & me excludi. Cauſa excandeſcentiæ fuit, quòd ea die compotationi ab eo inſtitutæ intereſſe noluerim: cùm pulſarem januam, irâ præceps accurrit ad poſtes, duris me verbis invaſit, cur tam ſerus redirem; excuſavi invitationem ad menſam admodum Reverendi Domini Parochi, nobis ſanguine juncti, neque eam temporis moram eſſe tam intempeſtivam, ut idcirco hujuſmodi ſint turbæ ciendæ, & domus vociferatione implenda: perrexit ille vino gravis

in

in me exonerare ſtomachum, & minari, ſe hanc protervíam ad tuum tribunal delaturum. Ego ebrio cedendum duxi, & me oculis ſubtraxi, cubitúmque conceſſi. Quid hîc peccavi? virtus & modeſtia mihi vitio vertitur. *Ad aliud* crimen: impotens ſum animi, pronus ad iram, & alios quoque irritabili contentione ad iraſcendum commoveo. Hîc ego teſtor omnes, qui mea conſuetudine utuntur, an quemquam ſubito calore laceſſiverim; an ſoleam alios ad rixas, jurgia & pugnas concitare. Et qui ſunt homines iſti, qui ferociam meam accuſant? Natura illos languidos finxit, Minervæ laboribus aptiores, quàm Martis. Quod in cibis experimur, quibus pro condimento ſal, & piper, *Italúmque acetum* eſt aſpergendum, quæ aliquando ſi deſunt, quid niſi fatuas & inſipidas dapes dixeris? Idem in colloquijs accidit, in quibus ſi mera mella & ſeſama inferas, neſcio, quomodo à fatua & effeminata mollitie nomen tuum liberes: vox gravior & ſeverior viros decet; feminas ſinamus rancidulâ nare verba frangere, & ad blanditias tenuare vocem: *Fortiùs è maſculo pectore lingua ſonat.* Verùm in Hilaritate Martinalium dicor gladiatoriam artem jactâſſe, eíque exhibendæ præludium ſtricto gladio

gladio præmiſiſſe. Alia omnia: de arte digladiandi inſtructionem me legiſſe aſſerui; gladium verò nudavi hanc ob cauſam. Duo nocturni ambulones viciniam, & ædes, in quibus Martinalia agebamus, clamoribus & lapidum verberatione inquietârunt; indignè tulerunt hoc convivæ, è quibus unus, ſi, inquit, mihi ſupereſſent, *quæ quondam fuerant in corpore vires*, ego iſtos bubones ſtrenuè deplumarem, & quia putabam, hoc dictum ad me pertinere, arripui clàm gladium, & aſſumptis duobus Heri convivatoris famulis, ad januam domus me contuli, valvas deduxi, enſe evaginato coruſcavi; nulli tamen diſcrimini me objeci, nam ultra limen pedem non promovi; à tergo receptum in tecta, & duos famulos fuſtibus armatos, cuſtodes corporis habui; turbatores, ubi viderunt fulgentem mucronem, & vim adversùs vim parari, timore perterriti in fugam ſe dederunt, nec ego inſecutus ſum; ſatìs fuit terruiſſe. Et hæc eſt athletica mea, quâ me ſuperbijſſe, & gloriatum eſſe arguis. *Sexta* culpatio, me philautiâ, amore meiipſius cæco, & vanæ laudis affectatione laborare; ſapientis mihi nomen arrogare, alios inſipientiæ & obtuſioris cerebri damnare; in cujus rei demonſtrationem

adducuntur verba,tanquam eſſent à me prolata, de fuco parentibus in redditione rationum faciendo; quod cùm Hermannus contubernalis meus, affinis noſter, non faciat, eum à me, quaſi hominem parùm emunctæ naris,ludificari, qui neſciat,fingendo & mentiendo parentes ſuos circumvenire,ingeniosè pecunijs emungere. Egóne hoc dixerim? cùm ſciam, dicta mox ad parentem emanare, in cujus offensâ mea tam ſecunda, quàm adverſa fortuna vertitur? egóne ſoricis in morem meo me indicio proderem, & perirem? abſit hæc vecordia. Hoc unum dixi, multos reperiri Academicorum juvenum, qui noverunt callidis commentis excantare loculos parentum, & fictis rationibus in ſua commoda calculum ducere. An ideo docui, quod ſciebam in uſu eſſe? de furum aſtutia & vafritie quàm multa leguntur, & narrantur, num propterea nequitias eorum approbamus? an artem manticulandi monſtramus? Quæ & plura horum ſimilia ſi conſiderarent obtrectatores, ac denigratores mei, parciùs uterentur carbonibus ad me deformandum. Hoc unum rogo, parens optime, ut me inauditum ne reum agas, néve ſententiam ex nudis aſſertionibus & delationibus contra me feras. De cætero veniam

niam demiſsè precor, ſi quid, ut homines ſumus, imprudentia mea juvenilis admiſit, quod tuis contrarium eſt monitis; ſpondeo paratum & obſequentem in tua juſſa animum,&, quam filius debet parenti, reverentiam ac obſervantiam. Animitus te ſalvere & valere jubeo; mea namque vita ex tua pendet. Et quia Paſchalia feſta agimus, ſpero, pro more patriæ, Libi & ovi colorati vice, aliquod vel ex argenti candidâ, vel auri croceâ monetâ munuſculum ſubmiſſum iri; agnoſcam inde, te mihi placatum, méquę ad tribunal tuum abſolutum eſſe; redibit animo, corporíque quies, & novus in litterarum ſtudio vigor

Filius obſequentiſſimus

Tiburtius Cephalinus.

XLVI.

THEODORO NEMESIO,

De vernaculis hujus temporis Scriptoribus.

Diem Jovis ſuperiore hebdomade elapſum egi, ſi quemquem alium, jucundè,

nam à Simone Lanuzio in ædes recèns ab eo exſtructas invitatus ſum, comite Melchiore Tiliano; luſtravimus curiosè totam ſtructuram, & magnam inde cepimus voluptatem. Paſcuntur enim oculi rebus novis, & delectantur admirabilitate. In toto ædificio nihil deſiderare potuimus, quod vel commoditati, vel decóri deeſſet. Accurata partium ſymmetria, & à veſtibulo ad faſtigium uſque tecti ſpectabilis facies. Intrò admiſſi nihil non illuſtre deprehendimus; nullum angulum, qui denormaret parietum rectitudinem. Frequentes ordine diſpoſitæ feneſtræ, lumen per vitrum pellucidum infundunt; in ambulacris, cubiculis, conclavibus nullæ anguſtiæ, nullæ obſcuritates; pavimentum ipſum è lapide, marmori haud multùm abſimili, ſtratum collucet; ſupellex lauta & varia, ædium domini ingenium & opulentiam loquebatur. In aulam, cænationi deſtinatam, introducti picturas mirabamur varias & artificioſas, &, quod maximè placebat, honeſti argumenti. Hinc digreſſos excepit locus, bibliothecæ aſſignatus tam inſtructæ, ut, quid deſideraretur, non videremus. Per circuitum erectæ pergulæ præbent aſcenſum ad inſpiciendos & eximendos libros, in forulis & nidis, cum inſcriptione

ne à tergo collocatos: magna hîc varietas codicum, præſertim recentiùs typo impreſſorum. Quo in loco dum ſubſiſtimus, Simon, hanc, ait, librorum copiam typographicis operis debemus, quæ ſuo ſudore tot litteras pingunt. Subinfert Tilianus: ſub Judice lis eſt, plúsne detrimenti, an emolumenti attulerit reipublicę typographię inventio. Nimiopere typographorum numerus excrevit; præla impreſſoria ubi non extant? novi ego civitates, in quibus hujus generis officinæ, viginti, triginta numerantur. Res eſt de *pane lucrando*; non de litterarum memoriâ ad poſteros cum fructu propagandâ. Quidlibet jam illinitur chartis, Vulcano magìs, quàm Minervæ conſecrandis. Ego ſubijcio: ita eſt, Tiliane, nuper vix erant tot in Germania typographi, quot olim Thebarum portæ, nunc ipsâ copiâ vileſcunt. *Non labor omnibus idem*; *quidam ſcombris dant tunicas, alij piperi cucullos, victuras alij per longa ſæcula chartas.* Simon ſubjecit: Jam olim quæſtio agitata fuit, conſultiúſne eſſet, paucos an plures libros habere; bibliothecium, an bibliothecam comparare? pro utraque ſententia ſtant Auctores. Ego quidem pro copia librorum pronuntio. *Tilianus*; ſi caſtigati ſunt, & utiles, &

 bonis

bonis moribus non officientes. Ego ſubjungo: pro paucitate librorum ſenſit olim Ariſtippus Philoſophus, Socratis auditor, qui cuidam jactanti, ſe plurima legiſſe, quemadmodum, inquiebat, non illi, qui plurimum edunt, meliùs valent his, qui ſumunt, quantum opus eſt, ita non, qui plurima, ſed qui utilia legerunt, ſtudioſi & eruditi ſunt habendi; adde quòd alatur inde otium, & multi aliorum laboribus indormiant, qui ſi vellent, ex ſuo ingenio depromere poſſent, quod ex alieno tranſumunt. Præterea debilitatur & obtunditur memoria, dum in varia lectione prius extruditur à poſteriore. Quin & Cicero Tuſcul. lib. 1. *Mandare*, inquit, *quenquam cogitationes ſuas litteris, qui eas nec diſponere, nec illuſtrare poſſit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis eſt, intemperanter abutentis, & otio, & litteris.* Siracidis dictum eſt c. 20. *Melior eſt, qui celat inſipientiam ſuam, quàm qui abſcondit ſapientiam ſuam.* Nam *Sapientia abſconſa, & theſaurus inviſus, quæ utilitas in utriſque?* Hinc conficitur, nec nihil ſcribendum, nec omnia. Epigrammatarius ait:

Victurus genium debet habere liber.

Servator orbis ſocordiæ ac vecordiæ damnat ſer-

ſervum, qui pecuniam repoſuit in ſudario & & talentum defodit humi, quod erat erogandum, & in communem utilitatem vertendũ. Ad quid ſapientia, ſi non eſt uſui? ad quid præclarum ingenium, ſi velut fulmineus enſis intra vaginam rubigine exeditur? Sapientiſſimus Regum: *Deriventur*, ait, *fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide.* Prov. 5. Per fontes ſapientiam intelligit, quæ eſt communicanda cum pluribus, & per canales ac ſiphones, nempe per libros, in publica commoda ſpargenda: quocirca mihi ſemper placuit copioſus librorum delectus. Scienciarum eſt amplitudo, profunditas & obſcuritas, ut ſemper ſuperſit, quod nova inquiſitione eruatur. Primæ cogitationes aditum faciunt poſterioribus cōmentationibus, iiſque melioribus, juxta illud δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι. *Curæ poſteriores, ſapientiores. Deinde* humanæ mentis capacitas tanta eſt, ut ſciendi ſtudio nunquam exhauriatur. *Tertiò* appetitus ingeniorum idem, qui convivantium, alia alijs fercula ſapiunt, varietas delectat: ſic ſua cuique dicendi, ſcribendíque gratia, quam natura Deúſque in diverſorum capita diſtribuit. Ergo felix exiſtimandum eſt hoc ſeculum, quo

Scribimus indocti, doctiq; volumina paſſim.]
Subjiciebam his: tolerandum eſſet, ſi ſola ſcribentium ruditas & ſimplicitas in reprehenſionem veniret. Sed quid dicemus ad libros, Bacchi magìs, quàm Minervæ ſucco lucubratos? hæreſin aut Cypridem olentes, verum, fidémque corrumpentes? Ipſe ego quàm multos Scriptores pervolvi, plumbum auro, aconita dulci vino miſcentes, & malè feriati capitis commentis hiſtoriæ titulum prætexentes? Hîc maximè agit mimam vernacula, blandiloqua, varijs coloribus veſtita, & in omnes formas perſonata; ſpecioſę inſcriptiones lectorem, vel rudem vel incautum, ſplendidè decipiunt, vitrum pro margarito, paleas pro granis obijciunt. Libido ſcriptitandi non attendit, quàm vera memoret, ſed quàm multa; omittit, addit, demit, mutat, affingit, invertit quidlibet pro lubitu; non ſecus, ac falſarij faciunt, qui monetam circumcidunt, depravant, adulterant. Si argumentũ incidat de Pietate & antiqua Religione, ita mutilant, maculant, vitiant hi Scriptores Principum orthodoxorum geſta, eáque in reprobum ſenſum deflectunt, ut dubites, ad quam ſectam ſe applicuerint, & pro genuina Veritatis imagine, ſpurium figmentum

ſup-

ſupponitur. Una eſt hiſtoriæ ſimplex facies; quæ ab hac abludunt, ſpectra ſunt, imponunt oculis fuco. Clemens Alexandrinus memorat de Selene quadam, muliere formoſa, quæ cùm ſe ſpectandam ex alta turri populo Romano præbuiſſet, effecit ſuis præſtigijs Simon Magus, ut, quot in turri feneſtræ erant, tot Selenes facies apparerent. Una Selene veritas eſt; mille commentorum ſimulacra. Exclamare hîc libeat: ô Marce Tulli, ubi nunc illa verba tua: *Hiſtoria eſt teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuntia vetuſtatis.* Omnia ſunt retroverſa: nunc Hiſtoria eſt falſus teſtis temporum, caligo veritatis, peſtis memoriæ, magiſtra mendacij, nuntia fabularum. Tilianus ſub hæc: in mentem mihi venit Procuſtes, latro diriſſimus, qui viatores ſuo lectulo admetiri ſolebat; & ſi quidem proceriores eſſent, amputatione pedum decurtare; ſi breviores, nervorum extenſione in longum diducere. Tales omnino ſunt iſti hiſtoriographi, qui, ut ad modulum pravæ mentis narrationes fingant, nunc demunt, nunc addunt de ſuo, & vocant, *Hiſtoriam ſcribere. Plutarch. in Theſeo.* Ego: Quid pernicioſius ad Divinæ Humanæque Veritatis ſubverſionem excogitari poſſet? nihil hoc

ſcribendi cacoëthe & imprimendi characteribus æneis, ad corruptelam morum, & perverſionem Religionis, ac Fidei virulentius. Venenum in aurea phiala propinatur, phraſes exornantur vernaculæ, ut ſub ijs ſcorpius dormiat. Ex his codicibus inſtruuntur Bibliothecæ; hi tenentur & teruntur manibus, memoriæ mandantur, calamo exarantur, in ære cuduntur, recuduntur, impunè venduntur. Ubi Cenſorum ſeveritas? ubi Recognitorum auctoritas? ubi morum Magiſterium? Hæc peſtis ſic paulatim inveteraſcit, ut poſteritas, contagione correpta, ſit ignoratura diſcrimen boni & mali, & ſerò dolitura, ſerpentem ſe pro piſce in Voluſianis hiſce chartis apprehendiſſe. Peſtilitatis tempore aër igne & ſuffitu purificatur; idem faciendum in hac librorum infectione; ad ignem ſine periculo leguntur. Exarſit hic Simon, & jam ardere cupiebat, quidquid in bibliotheca ſua hujus generis codicum proſtituerat: *Pereant*, inquit, *nociva chartæ, ne peream ego, vel mei, ſimúlque unum è ſervulis amandavit, ut cophinum adferret, in quem pernicioſi libri conijcerentur, & velut in ſandapila ad rogum efferrentur.* Injecit manum Tilianus, & monuit, ut ne triticum cum ziza-

zizanijs evelleret; eſſe bona quædam mixta malis, quæ oporteret ſecernere,& medicinam vel lituris, vel eraſione facere; poſſe aſteriſcos in margine,tanquam errorum indices,apponi, crucibus notari; quædam etiam tanquam ulcus exſcindenda, quædam glutine, velut emplaſtro, aut ſplenio ſuperinducenda,quædam exurenda. Inter hos ſermones tempus,ad horam cœnę extractum,nos admonuit domuitionis; nihil deſiderabatur in colloquio noſtro, niſi tua præſentia, quæ, quod ſolet, diſertis ſalibus condit colloquium. Simonis promptitudinem ad exurendos libros noxios, ſi pro noſtra familiaritate narres HonorioRutilio,& hanc ille voluntatem, ut par eſt, laudibus efferat, ne obliviſcaris adjungere votum, Simonis ut zelum plures imitentur; non diu eſt, ex quo vidi imaginem in Honorij ædibus,magìs artificiosè, quàm caſtè pictam, cui ſi lacernulam inijceret, gloriari poſſet coram ſupremo Judice, ſe *nudos veſtijſſe.* Vale mi optime Theodore, & huic ſermonum faſciculo, quos phraſi Terentiana in epiſtolis *cædimus* (velut ex arbore ramos) extremum inter rejectitias chartas angulum indulge; forſan legent iſta minores.

XLVII.

XLVII.

WOLFGANGO BOMBICIANO,

Nobili Juveni,

Ad ſervitium Aulicum abeunti.

PARÆNETICA.

DIſceſſurus hinc ad Aulam Magni Principis, eíque ab obſequijs Palatinus futurus, putabas, humanitatis & civilitatis tuæ eſſe, ne in viam priùs te dares, quàm me ſalutâſſes. Neque contentus eras officioſum vale mihi dicere, inſuper pro tua modeſtia, petijſti à me inſtructionem, ceu viaticum, quò commodiùs iter hoc ſuſciperes. Excuſanti meam tenuitatem, & in rebus Aulicis imperitiam, vehementiùs inſtitiſti, nec antè urgere deſijſti, quàm promitterem, me per epiſtolam quædam tecum communicaturum, quæ quidem non didici experientiâ, ſed eorum ex libris hauſi, qui de vita Aulica quædam præcepta & monita reliquerunt. Sic igitur habeto. Doctiſſimus Lipſius in Epiſtolis ſuis mentionem vitæ Aulicæ faciens, breviter & graviter, ut ſolet; *Mare, qui intrat*, inquit, *navigat, fluctus exſpectat*:

exſpectat ; *qui Aulam, motus.* In Aulis lenta ſunt beneficia, præcipites iræ; leviſſimo momento in indignationem impelluntur Principes, ſæpiùs erumpit fulmen, quàm tonitru audiatur; eorum favor & gratia vento inconſtantior; ſeverior vultus omnia fortunæ ornamenta evertit; id quod Mythologi per Ganymedis fabulam indicatum volunt, & ego antehac in *Ethica* mea *ſymbolica* explicavi; juvabit quædam repetere. Ganymedes, Laomedontis Troiani Regis filius, lectiſſimus adoleſcens, ab aquila juſſu Jovis in cœlum evectus, officio Pincernæ decoratus eſt: brevì effudit, quam collegit gratiam; parva offenſione, pro regali ſcypho, aqualem ſuſtinere coactus eſt. Jubetur enim exceſſe Jovis regiâ, & in Zodiaci ſe limites conferre, atque nomine *Aquarij* contentus eſſe; ut, qui antea Cœlicolûm regi in aureo poculo nectar miniſtrabat, jam aquario urceo campos & agros rigaret. Hæc eſt imago ſervitutis Aulicæ; ad quam cùm acceditur, finguntur montes aurei; favore Principum, tanquam aquilæ pennis, tolluntur in altum Clientes Aulici; qui cùm credunt, ſecundis ſe favonijs ſupra terras longè infrà jacentes ſublevari, repentè deſtituti aë-

rio

rio illo remigio ad hydriam & avenaceam pultem amandantur. Turbulentum profectò mare eſt Aula, & alternis æſtibus reciprocum, multorúmque jactationibus, aut naufragijs infame. Prô, qualia in hoc ſalo monſtra! Invidia, calumnia, ambitio, ingratitudo, ſimulatio, deceptio, æmulatio, aſſentatio, hypocriſis, ſuſpiciones innumeræ iſtud mare infeſtant. Ah! ne fide ſereno; repentè malacia in tempeſtatem mutatur. Quem in ſpeciem venerabatur demiſſo capite populus; ubi præterieris, medium extendent digitum, poſticis illudent ſannis; foràs mella, intus fella; cùm de honoribus agitur, quiſque ſua merita velut fimbrias dilatat, primas obtinere ſtudet, æqualem ſubmovere, priorem convellere & ſupplantare; alienis ſucceſſibus ægreſcunt, ſuis tumeſcunt. Exploratores ubique & ſpeculatores, ſi quà linceis oculis obſervent, quod ex beato poſſit infelicem facere. De aulicis Siracides c. 9. *In medio laqueorum ingrederis*; ſi bonus es, diſplicebis malis; ſi improbus, probis. Laudabunt, quem præcipitatum cupiunt; &, ut Tacitus ait, ſecretis criminationibus infamabunt ignarum, &, quò incautior decipiatur, palàm laudatum; illi ple-

rum-

rumque magìs timendi, qui nihil elegantiarum omittunt, quò te irretiant. Meminit hujus fallaciæ Eccleſiaſticus c. 19. *Eſt, qui nequiter humiliat ſe, & interiora ejus plena ſunt dolo.* Mox ſubjungit: *Et eſt, qui ſe nimiùm ſubmittit à multa humilitate: & eſt, qui inclinat faciem ſuam, & fingit, ſe non videre, quod ignoratum eſt: & ſi ab imbecillitate virium vetetur peccare, ſi invenerit tempus maleſaciendi, maleſaciet.* Vide deſcriptionem verſuti Aulici: ejus demiſſio eſt plena dolo & ſimulatione; inclinat faciem, & ſe profundè ſubmittit, ut, quantò minùs ſuſpectus, tantò ſit nocentior; fingit ſe cæcum in vitijs, & erroribus tuis notandis, cùm Argo ſit oculatior. Quòd ſi non ſtatim valeat, iram & invidiam in te exonerare, reperiet occaſionem malitiam ſuam explendi, & explebit conceptum adversùs te odium. Quid hîc agas? invidiam ſupera modeſtiâ, injurias patientiâ, malevolentiam obſequio, & bonæ mentis ſecuritate. Seneca præclarus morum Magiſter refert lib. 2. de ira, c. 34. quendam interrogatum, quomodo ſenectutem, rem in Aula rariſſimam, conſecutus eſſet, reſpondiſſe: *injurias accipiendo, & gratias agendo.* Potuit hoc gentilis,

tilis, cur non Chriſtianus? nam in Aulis quoque locus eſt virtuti; unde non ſemper verum illud Lucani:

--- Exeat Aulâ
Qui volet eſſe pius.

Sed hoc jam non ago, ut Aulam ſanctam depingam; habemus Cauſinum, Raderum, & alios, qui ex inſtituto hoc faciunt; mihi id modò propoſitum eſt, oſtendere tibi pericula Aulica, & laqueos exeundos. Apud Medicos aphoriſmus eſt, *noſſe morbum, initium curationis*: qui in Aula non vult perire, principium ſalutis ducat à cognitione morum, quos vocant, *Politicorum*. Adagio fertur, *Anguillam caudâ, licèt teneas, elabetur*. Hæc Aulicorum eſt prudentia, ſed vafra, ut, quidquid ajunt, negare poſſint. Credas, non credas, in ancipiti & lubrico verſaris; niſi enim pari verſutia verbis tuis larvam inducas, ſimplicitas (ita ſinceritatem appellant) tibi in damnum cedet; *ſi cum vulpibus vulpinandum*, ut dicitur, *putes*, Machiavelli te citiùs diſcipulum, quàm Chriſti exhibebis; in eodem ergo diſcrimine, fallere & falli, ſilere & loqui. Quid hîc conſilij? Non ſtatim annuere & abnuere; aduret manum, qui volet eâ verſare doloſum

cinerem,

cinerem. Sæpe declinanda eſt reſponſio, & ſcitè aliò dilabendum; ſæpe ſuſpendenda lingua, & injecti ſermonis alea diſſimulanda; ſæpe à particulari ad univerſum genus collocutio transferenda; nam ut Philoſophi loquuntur: ***Abſtrahentium non eſt mendacium***; ſæpe opinionum varietas adferenda, & communis mortalium vanitas in ſentiendo, judicandóque accuſanda; ſæpe temporum noſtrorum infelicitas in crimen vocanda, & veteribus exemplis confirmanda; ſæpè juverit inſidioſam aſtutiam dubijs reſponſis eludere; ſæpe etiam liberali joco tranſmittere. Sed hæc, & plura optimus Magiſter Uſus, & Experientia te docebit; ars quoque Aulica ex multis obſervationibus addiſcitur; fallunt tamen non rarò hæc præcepta, dum magìs politicæ legi, quàm Evangelicæ reſpondent. Imprimis ergo Pietas, ut ad omnia alia utilis, ſic in Aulis verſanti cumprimis neceſſaria eſt, nam ubi plus periculi, ibi magìs opus eſt invocatione Divini auxilij, ſine qua, quid omnis iſte Aulicus apparatus, & verborum ac veſtium pompa, quid aliud, quàm fumus, qui, dum alta petit, evaneſcit? Hæc pietas Joſephum Ægyptium inter calumnias ſervavit; hæc Davidem inter in-

tortas à Saule lanceas defendit; hæc Danielem inter leones tutata eſt. Aulici erant, & in illo mari miris fluctibus jactati, minimè merſi, virtutis ac religionis anchorâ ſubnixi. Quòd ſi tantâ cautelâ opus eſt inter eos, quos Fortuna nondum extra metum conſtituit, quid non circumſpectionis adhibendum, ut *placeas Principi*, certè non diſpliceas? hîc ſollicitè invigilandum, ut neque hominis inofficioſi, neque aſſentantis notam incurras. Alexander M. rogatus, quomodo ad Principem ſit accedendum; reſpondiſſe fertur: *Tanquam ad ignem*; ut neque valde propè te adjungas, ne comburaris; neque longiùs abſcedas, ne frigeas, & non calefias. Ad Principem, velut ad benignum ſidus reſpiciendum Aulico; inde honorum ac opum influxus exſpectandus; ſed non rarò irritus: ipſa mora torquet; ſi inanis, quid affert niſi ſeram pœnitentiam? Princeps eſt inſtar frondoſæ platani, ſub cujus umbra quieſcendum Aulico; multos & hæc quies fruſtravit; ſubitus caſus umbratilem eis ſecuritatem ademit. Princeps columnæ ſimilis, circa quam fragilis hedera, Aulicus, inſerpit. Hæc etiam ſcanſio ruinæ obnoxia; ſoluto nexu, ſolvitur amplexus, & malè

lè fidus favor. Principis gratiam abacum rationarium dixeris, in quo pro computantis lubitu calculi nunc verſantur aurei, nunc ænei; nunc ſurſum, nunc deorſum, ad nutum Principis, vertitur Aulicorum fortuna, modò adverſa, modò ſecunda; omnis illorum beatitudo ac miſeria ex unius voluntate pendet. Atque hæ ſunt compedes illæ aureæ, quibus Aulica ſervitus alligatur.

Sed nunc claudendi rivi, ſat prata biberunt: Finem facio huic epiſtolæ, ne, plura Aulæ pericula adducendo, te à propoſito abſterream, aut certè generoſos animos infringam, aut, in contrariam partem de felicitate Aulica pluſcula memorando, vanis te ſpebus inflem & impleam; potes ipſe tuas vires metiri meliùs, & ductum genij ad magna nati ſequi. Injurius ſim bono publico, ſi in Aulam Principum, ex qua tot Heroes, tanquam ex Equo Troiano, prodierunt, *Dicteria* magìs, quàm *Dictamina* in medium adferam. Clauſulæ loco adſcribo quasdam gnomas Aulico obſervandas, ex Ode VI. lib. 2. P. Jacobi Balde, Poëtæ Lyrici noſtræ ætatis clariſſimi, & mihi perfamiliaris, dum viveret: vivit verò, & volitat omnium per ora virûm. Tu has ſententias in uſum

& emolumentum tuum verte, & ex Poëtica quoque Ethica fructum cape. Appono verſiculos, ſed imperfecto metro fractos; non enim jam ſyllabas Grammaticorum, ſed mores Aulicorum ad numerum à te expendi cupio.

I, quò vocaris Carole; ſed priùs
Politiori fac patientiæ
Immane votum, diſce blandum
Ferre jugum, & lepidos dolores.
Eſt Aula pontus:, ſpes tua naviget
Vicina ripa, qui pelago nimis
Fidit quieto, larga præceps
Immodicus dare vela ventis,
Calumniarum ſæpe Cerauniis
Illiſus, cum gemitu franget ratem.
Sit magna famæ cura, ſupercilì
Sit nulla; faſtum palpebra neſciat.
Felicitatis pars, puto, maxima eſt,
Felicitati fidere parciùs.
Cælum minatur fulmina? SUSTINE.
Præſens voluptas allicit? ABSTINE.
Fortuna blanditur? recede.
Levaris? exulta modeſtè?
Deprimeris? patiare flecti.
Inſultat hoſtis? diſſimula.
Virtute ſtabis.

Plura

Plura non addo; compendium habes Ethicæ Aulicæ; utere in tua, & familiæ tuæ incrementa, & ſalutem tuam cura. Hæc ſcripſi, ut tela prævisa minùs ferirent, ſi fortè in te inciderent; juxta vulgare dictum, *cautela non obeſt.*

XLVIII.

ILLUSTRI JUVENI

ALBERTO FELICIANO

L. Baroni à Tritomontio,

In exteras regiones proficiſcenti,

PROPEMPTICA.

PErgratæ tuæ mihi litteræ acciderunt, Coloniæ datæ, quibus ſignificas, te iter longinquum ingreſſum, ad peregrinas regiones viſendas; eſſe in comitatu trium prænobilium Germanicæ nationis juvenum, unà cum Moderatore, linguarum & regionum perito, & quinque famulis, fide & uſu armorum probatis. Scribis, Agrippinâ, poſt duarum ibi hebdomadum commorationem, primo die Maij diſceſſiſſe, & deſtinâſſe pri-

mò adire Belgium; inde velle traijcere in Angliam; hinc in Galliam; denium terrâ facturum iter in Italiam. DEUS ter Opt. Max. ſecundet hanc profectionem, & te nobis incolumem, multáque rerum ſcitu dignarum cognitione inſtructum reddat. Illuſtris domina parens, matrona pientiſſima, tuî amantiſſima, valdè eſt ſolicita, ne quid adverſi tibi contingat, ullúmve periculum corporis aut animi incurras. Scit enim peregrinationes mille diſcriminibus obnoxias, itinera longa & intuta, inſidias, errores, naufragia, latrocinia, cædes, morbos ac mortes immaturas inter ignotos timendas. Quàm triſte, & miſerum infelicibus parentibus accidit, ſi charus exoptatúſque filius, poſt longam abſentiam, magnóſque ſumptus factos, denique in epiſtolio funeſto redeat, cui pro ſigillo nigrum ⊖ impreſſum; quæ tunc ſuſpiria, lacrimæ, planctus, lamenta? Augetur luctus, ſi nobilitas generis, rara indoles, ætas florida, magna ſpes & exſpectatio, ſimul apud exteros ſcrobem ſubeunt. Æquiſſimæ petitioni quidni reponerem officiorum meorum obligationem, tam multis titulis devinctus illuſtri familiæ, ut hæc à me magis poſtulanda, quàm petenda ſint.

Spo-

Spopondi preces ac ſacrificia, non ſimplici vice peragenda. Repetijt ipſa nova poſtulatà (ad hæc enim meis verbis animata fuerat) & inſuper inſtitit, ut admonerem te curæ de te ipſo habendæ: umbram eſſe reliqua peregrinationis parerga, ſi Sol patiatur eclipſin; tuam valetudinem, tuam ſalutem ſibi in deſiderijs eſſe; pereant peregrinæ linguæ, pereant mores & ritus, modò ne pereat filius. Repoſui ego, monitorem tibi ad latus eſſe, virum prudentem & expertum, jam tertiùm peregrinationes reviſentem; hunc fidelem ſalutis Alberti Feliciani cuſtodem fore, hunc Achatem; hujus ſi monitis & conſilijs obtemperet, omnia ex voto ſucceſſura; hunc magiſtrum ac ducem morum ac viarum nihil omiſſurum, quo inexperta juventus præmuniatur adversùs ferociam, licentiam, blanditias, profuſionem & ceteras peſtes, ætatis inconſultæ corruptelas. His auditis, nihilominus perſtitit matrona prudentiſſima in ſuis rogatibus: darem hoc Mariti conteſtatis in noſtrum Ordinem meritis: darem ſibi, filium tantùm non in hac profectione efferenti: darem ei, cujus cauſa potiſſimùm agitur; præſcriberem quasdam, ut vocant, regulas, ſeu præcepta, ſeu monita, qui-

bus ſuffultus à graviori caſu ſervaretur: ſe advertiſſe in te, nondum ephebiam egreſſo, quandam erga me obſervantiam (refero ipſius verba) penè parentibus invidendam; eam mentem adhuc inhærere Alberto, & ſcriptam in rudiori tabella reverentiam nec dum (ut apud alios fieri ſolet) oblitteratam. Novi diſertam in Nobili Matrona linguam, & majores, quàm pro merito meo laudes; ſed tamen hæc, etiam ſine comite facundiâ, humanitas quid non impetraret? hic petendi modus quem aſſenſum non inveniret? ego certè diutiùs renuere non ſuſtinui; illa domum receſſit; ego ad ſcriptorium pulpitum me contuli, calamum & chartam prehendi, quæque non operosè in mentem veniebant, exaravi: tu ipſe judicabis, ubi legeris, in hanc meam ad te epiſtolam, minimè *ſcrupoſam*, ut Plautus loquitur; ut ego loquor, haud ſcrupuloſam *repſiſſe viam.* Accipe voluntatem matris, meum obſequium & quod olim feciſti puer, nec juvenis aſpernare dicta quædam, familiari affectu à me prolata; ætatem magis tuam, quàm teipſum informo, quem ſcio mea inſtitutione non indigere; habes tecum, quem conſulas, ad quem vitæ tuæ leges referas. Tria

ad

ad exteras gentes profecturo dicuntur maximè obſervanda: Cura *Animi*, *Corporis*, *Fortunarum*. Animus expoliendus eſt varia cognitione rerum: mores incolarum, ritus, leges explorandæ; lingua addiſcenda; virtutes ac vitia advertenda, ut illas tecum domum referas; hæc noveris, nequaquam imiteris. Cura *Corporis* requirit, ut nihil admittas, quod valetudinem lædat; nihil negligas, quod eam conſervet. *Fortunarum* quoque conſideratio habenda, ne in prodigalitatem abeant neceſſariæ itineris impenſæ. Quid enim juvet, varias tranſeundo terras, diſperſiſſe pecuniam, quam in patria deſideres tibi collectam remanſiſſe? Mores gentium jam olim à vitijs notabantur; hinc in adagium abierunt, *Phryge mollior*, *Sybaritâ faſtuoſior*, *Scythâ aſperior*, *Pœno perfidior*, *Græco levior & vanior*, *Thracibus bibacior*, *Cretenſi mendacior*, *Arcade ſtolidior*, *Parthis fugacior &c.* Mutantur tempora, & cum ijs nomina, non vitia. Ex hiſtorijs conſtat, frugalem Populi Rom. vitam, ac maſculam virtutem corruptam fuiſſe; cum Græcis, & peregrinis moribus in civitatem irrupiſſe mollitiem, luxum, gulam, ebrietatem, & diverſa turpitudinis genera. Re-

giones luſtranti imitandi ſunt quidam fluvij, qui per medios lacus erumpunt, nec tamen illis miſcentur; ſic utendum hoſpitijs peregrinis, ut idem exeas, qui veneris; expertior quidem, & uſu ac conſuetudine locorum ac populorum doctior, cautior, politior, prudentior, ſed non peior ac deterior. Ante omnia homini peregrino explorandus eſt genius loci & incolarum; an proni ſint ad ſuſpiciones, &, quæ hinc naſcitur, ad æmulationem & zelotypiam; quo vitio qui correpti ſunt, metue ab ijs inſidias: multis nocuit aſpexiſſe, multis tantùm ſalutâſſe; leviſſima ſuſpicandi momenta in cædes impellunt. Alicubi feminæ clauſæ, velut in cuſtodia, tenentur; in publicum rariſſimè prodire licet, & quidem non niſi facie velata; in convivijs virorum aſſidere, cenſetur honeſtas non decere. Ab hac ſuſpicionum temeritate longè abſunt alij, apud quos liberior converſatio in laude comitatis & eutrapeliæ habetur. Catus hoſpes attendet, ut ijs in locis, quæ zelotypa febri laborant, nec verbo, nec nutu, nec joco quidquam præſeferat, quo detur indicium, ſibi peregrinam formam placere. Quidam enim de ſuſpicioſis Junones ſuas, ſicut gryphes aurum in mon-

montibus Scythiæ,cuſtodiunt, & omnia tuta timent; ad folium motæ arundinis excubant, ne quis cuculus alienum invadat nidum. Alicubi *Solis* & *pectoris* calore æſtuant homines; ſunt manu prompti; facili de cauſa pugnas cient, duella ineunt; odia exercent occulta & internecina; in paratu habent ſicarios, quos in cædes immittant; venena, quæ per ſpeciem amicitiæ miſceant; quibus idem eſt, hominem occidere, atque gallinam mactare. Qui ſapit, hoc genus furioſos Aiaces vitat; neque enim eſt cordati juvenis,vitam proijcere, & in rixis velle audaciam oſtentare; unum quandoque verbulum arripitur,& in prælia trudit ſtolidam ferociam. Reprimendus naturæ vehementioris impetus, lingua coërcenda, ne cum ea ſtringatur gladius. Siracidis monitum eſt, ut cum homine iracundo non ineas familiaritatem, ne te laceſſat ad jurgia, rixas, pugnam. Ejus verba c. 8. hæc ſunt: *Cum iracundo non facias rixam, & cum audace non eas in deſertum, quoniam quaſi nihil eſt ante illum ſanguis*: hîc valet illud; *Qui amat periculum, peribit in illo.* Non opus eſt provocare fata; venient certo ordine, & mortalitatis tributum exigent. Luſtrans terras

terras peregrinas hoc quoque fugiendum, ne velle videatur rerum ſuarum præconem agere, alienas conſuetudines, & laudes deterere, aut minùs æſtimare. Nihil odioſius, quàm faſtu inflari, præſertim coram illis, quos nativus genius ad jactantiam & oſtentationem educavit. Gallus, ut dicitur, in ſterquilinio ſuo triumphat; patrios ritus, ceremonias, opes, fertilitatem ſoli, urbium ſplendorem, virorum robur, Nobilitatis amplitudinem, Principum potentiam ſupra omnes alios effert; quibus ſi adverſeris, aut ea parciùs commendes, aut commendanti languidiùs aſſentiaris, contemptum ſcilicet interpretatur. Hîc ſapientis eſt, abſtinere gloriolâ domeſticâ, nec in contentionem venire cum homine, ſua tantùm admirante, & abjectè de alijs ſentiente. Communi verbo, omnis comparatio ſecum invidiam trahit; quid jam humanitatis ab exteris ſperabit, quos rerum tuarum jactatione irritâſti? indicium præbet inopiæ mentis, qui agelli ſui ambitum putat meliore, quàm pinguia rura Galeſi, calere ſole. Potens conciliatrix benevolentiæ eſt modeſtia & animi ſubmiſſio; demittentem enim ſe quis ſublevare non cupit? at ſeſe attollentem quis deprimendum

non

non putat? hæc virtus eſt illa Ariadne, quæ non ſemel unum Theſeum, ignota in regione verſantem, multis periculis explicavit, & æquè acceptum populis, quàm popularibus ſuis reddidit. Alius, non vitandus minùs peregrinationis ſcopulus eſt, ad quem alliduntur illi, qui intemperantiùs in potum effuſi ſunt. Immodicus amor Lyæi multis cum pecunia valetudinem & vitam eripuit. Alicubi infames habentur, qui ſupra naturam vino ſe onerant. Damna temulentiæ notiora ſunt, quàm ut neceſſe ſit, ea enumerare. Non minima pernicies eſt ebriæ linguæ licentia, quæ ſæpiùs graves calamitates peregrinanti accerſivit. Seneca ait: *non facit ebrietas vitia, ſed protrahit: tunc impudicus morbum profitetur ac publicat; tunc petulans non linguam, non manum continet; creſcit inſolenti ſuperbia, pugnaci audacia; ſecretum nullum, ubi regnat ebrietas.* Et hanc ob cauſam multos aliena terra tumulavit, partim quòd ſumptibus nimiùm prodeuntes, ob fruſtratam ſolutionem cuſtodijs incluſi contabuerunt; partim quòd per ebrietatem ad alia atque alia vitia delapſi ſocienos ſibi adjunxerunt, quibus nummorum & ſalutis ſuæ jacturam debuerunt. Aſ-

ſeclæ,

ſeclæ in ipſorum familiaritatem ſe inſinuârunt cantores, cantatrices, hiſtriones, paraſiti, aretalogi, ganeones, aleatores, qui aviculam aliunde advolantem ita deplumârunt, ut nudiorem Iro conſtituerent, exercitati canes venatici, ad venandam in alienis marſupijs prædam. Fruſtra clamet deſertus & egenus hoſpes: Actæon ego ſum, dominum cognoſcite veſtrum: acceſſit ad egeſtatem ludibrium, &, quos aluit, ab his diſcerptus eſt, pecunijs prodigè decoctis & dilapidatis. Atque hæc ego non adfero, tanquam velim tibi, Juveni illuſtri, & optimis moribus prædito diffidere, & de tua virtute dubitare; alijs hæc monſtra timenda ſunt, qui carent vigilantis Moderatoris præſentiâ; quos effrenes facit libertas, & juvenilis ætas parentum oculis ſubducta; ideo hæc commemoravi, ut docerem, quàm horrida portenta ſe obijciant terras peregrè luſtrantibus. Ejus rei documentum ſub fabularum involucro ſapientiſſimus Homerus in ſuo Ulyſſe tradidit: quid enim ſunt illæ Sirenes, virginea facie monſtra, niſi voluptates, primo aſpectu blandæ, auditu jucundæ, quæ capiunt ſenſus juventutis, & navigantem Ulyſſem remorantur, nec rarò mergunt, ut

vel

vel nunquam redeat ad patria littora, vel certè lacer & naufragus, & virtutum, quas domo extulit, veſte ſpoliatus? Quid illa Circe trivenefica, quæ pernicioſo philtro dementavit Ulyſſis ſocios, & in beſtiarum formas tranſmutavit, quàm ingenita juventuti ad malas cupiditates proclivitas, quæ ſe maximè in peregrinis regionibus exerit, & rationem ac mentem evertit? Quid illa ſcylla & charybdis, voraces hominum naviúmque gurgites, quos alij Gulam & Luxuriam interpretantur, alij ad Profuſionem & Prodigalitatem applicant? quæ vitia Marcus Tullius patrimoniorum charybdin appellavit; nec malè in peregrinatores iſtos convenit, qui videndo varias terras peculium parentum exhauriunt, & domum reduces ſeram in fundo parſimoniam deprehendunt. Sapuit Ulyſſes, qui rapaces vortices incolumis ſuperavit, circumeundo ſaxa, ſub quibus ſpumoſa murmurat unda; peregrinus probos mores & nummos conſervat, ſi occaſiones deflectat, paternas opes unà cum bona mente perdendi. Demum Ulyſſes poſt tot virtutum experimenta & ſpecimina, è mille periculis eluctatus, ad deliciofas Alcinoi Phæacum Regis hortos delatus eſt, ibíque omni hono-

honore ac liberalitate exceptus. Agnoſcis imaginem longinquè & fructuosè peregrinantis: ſubeunda ſunt pericula, & duce prudentiâ exantlanda. Ulyſſi poſt varios caſus, & innumeros terrâ pelagóque labores, Alcinous omnes moleſtias abſterſit: juvenem generoſum, quibus decet ornamentis inſtructum, ſuſpiciet Princeps, & ultro in gratiam admittet; penſabunt itineris difficultates ac ſumptus ſplendidi honores, & ſociatæ cum opimis fructibus dignitates. Quocirca macte animo, perge proſequi cœpta, & ad avitam laudem magnis animis graſſari. Si profectiones impenſis & periculis carerent, quis ex trivio non affectaret, moleſtias viarum ſuſcipere, & nomen experti Ulyſſis occupare? Sed aliud eſt, curſoris veredarij in morem fumum alieni ſoli nare trahere, aliud locorum genio & ingenio paſci. Tecum, credo, excurrit hæc epiſtola, & comitatur euntem. Vereor, ne dudum moleſta & ingrata ſit properanti. Quare haud ægrè mihi feceris, ſi jubeas eam domum faceſſere. Fecit impenſum Dominæ parenti obſequium, ut longiùs procurrerem. Vale, bene proficiſcere.

XLIX.

XLIX.

NICOLAO PIONIO

Religioſa vota recèns profeſſo,

GRATULATORIA.

INter feſtos ſacratioris lætitiæ dies, Reverende Nicolae, veteri Eccleſiæ more, ſingulari ſtudio celebratur, qui Religioſum Tironem DEO per Votorum nuncupationem conſecravit. Hoc eſt illud ſacramentum, quo æterno Regi miles novitius ritè auctoratur: dies, qui Palæſtriten Aſceticum, conſuetis exercitamentis ſatis probatum, ex umbra in ſolem, ex præmeditatione in uſum & arenam armorum emittit: dies, quo bellator ſanctiori militiæ adſcriptus, trilici, ut olim fiebant, lorica & clypeo munitus, provocavit in certamen giganteum illum Goliathum, tria tela (tergeminam *concupiſcentiam*) vibrantem. O fortunatam lucem, niveo, ut Veteres ſignabant, dignam lapillo! Lux utique candida, quæ te cœli candidatum conſtituit, & rerum fluxarum curis abſolvit; quæ te mundi fluctibus jactatum, & cœli pelagique minas formidantem, in tranquillum Religionis portum invexit: poteras ludibrium

ventis ultro citróque ferri, niſi fidam tibi in littore ſtationem tres illæ Deæ (liceat ſic loqui) felicioris navigationis duces, *Paupertas, Caſtitas, Obedientia* præparâſſent. Quæ tuæ ſortis felicitas tantò plus gratulationis meretur, quantò plures magno animo conſcendunt Religionis *Naviculam*, & *contrario vento, Mundi, Carnis, Cacodæmonis* artibus excitato, vanitate, mollitie, malitiâ retrò acti feruntur. Solvunt è littore cum plauſu; cum bonorum omnium apprecatione, ſecundis ventis aliquamdiu provehuntur, ad *Inſulas* diceres *Fortunatas* navigare, adeo bene animati, & adversùs quaſvis tempeſtates inſtructi, auſpicata vela pandunt, utinam conſtanter! Brevi deficit eos generoſior animus, de optimè propoſitis remittunt, & incipiunt ignavè reſpicere, quæ à tergo fortiter reliquerunt. Quoſdam enim patriæ & parentum præpoſterus amor redire cogit ad retia, quibus ſe jam ſtrenuè explicârant; quoſdam navigationis moleſtiæ abſterrent, ne proſequantur viam; alios remetiri jubet malè ſuada rerum terrenarum cupiditas, & *ollas Ægyptias* reguſtare; alijs curſum ſiſtit vagæ mentis inſtabilitas, & mutabilis luna; quæ cùm ſub pedibus eſſet habenda & proculcanda, dominatur

tur in caput, & meliorem ſenſum evertit. Nec pauci ſunt, quos præceps fervor nullo moderamine temperatus, jam ad dextram, jam ad ſiniſtram rapit; mediocritatem illam, in qua virtus conſiſtit, in jugum intolerabile vertit; non Ordinis ſacri vitio, ſed inconſulto, & non durabili in auſteritatem inconſideratam impetu: quibuſdam nocuit nimia in tirocinio Religioſo indulgentia, & agendi libertas: æquè perniciosa eſt equo, nondum ad curſum aſſuefacto, vel nimia habenarum adſtrictio, vel relaxatio. Longè aliter tua, Nicolae, prudentia & patientia navigavit; quod ſanctè inchoaſti, immotâ conſtantiâ continuâſti; nam poſtquam pedem in Religioſæ vitæ ſtatum, velut in deſideratum navigium, intuliſti, & *alto* te crediſiſti, non prius ab incepto deſtitiſti, quoad abſoluto legitimæ probationis ſpatio, ad portum Religioſæ Profeſſionis appuliſti, tribúſque Votis, tanquam firmis rudentibus, ligatam ſtationem tenuiſti. Non te remorabantur parentum affectus, non ſanguinis nobilitas, non lautitiæ opum, non vanitatũ pompa, non deſignatus Hymenæus, non avocantium blanditiæ, non diſciplinæ rigor, non deſerentium Vocationem exempla. Tu fortior, quàm Ulyſſes ille à Poëtis decan-

tatus, qui, ne Sirenum cantibus caperetur, aures obturavit, ad malum navigij ſeſe alligari curavit, ne fallacibus delinimentis moveretur. Poterat dicere :

Canitis ſurdo, canitíſque ligato.

Tu votorum vinculis longè pulchriùs arctiúſque adſtrictus ad Sacræ Crucis malum, nec blandis ceſſiſti, nec aſperis territus fuiſti. Sed quid dico de vinculis ? ferreis clavis *Chriſto confixus* es; pedes *Obedientiæ*, manus *Paupertati*, oculos & reliqua membra *Caſtitati* conſecrâſti, trabalíque unco firmâſti. Margaritam illam in agro Evangelico latentem ut invenires, omnes à te fortunas generosè abdicâſti, ſatis opulentum & fortunatum eſſe te ratus, ſi unum hoc cimelium, ſupra Perſicas gazas & quemvis theſaurum æſtimandum, comparâſſes; deſiderium pretioſiſſimi unionis effecit, ut nullas difficultates refugeres, nullos terrores exhorreſceres, nullos inſultus occultorũ hoſtium reformidares, quò minùs ad hanc margaritam, velut vellus aureum, obtinendam per varios fluctus, qui tironibus ſe obijcere ſolent, imperterritus tenderes, inventam cautiſſimè cuſtodires; quam nequa vis aut illecebra tibi eriperet, triplici funiculo obſtrictam, velut amuletum pecto-

pectori alligâſti, & Herculeo planè nodo, nullo tempore ſolvendo, Religioſos iſtos nexus obfirmâſti. Non te illa monſtra, multis formidabilia, à curſu retardârunt; non infames pereuntium naufragijs gurgites abſterruerunt, quin per obſtantes ſcopulos ac procellas iter ad deſtinatum portum proſequereris, in eóque, velut in tranquillo ac materno Religionis ſinu, conquieſceres. Quod Scylla & Charybdis, quod Syrtes & Capharéa ſaxa mare hoc elementare navigantibus ſunt; hoc mare, non illud *Superum* aut *Inferum*, ſed *Internum* eſt, *Tentationum* fluctibus periculoſum, in quo naufragantur, & peſſum eunt quàm plurimi: in eo, ſeu ſcopulos, ſeu vortices appelles, ſunt maximè tria, ut inſinuavi, loca metuenda, quæ à viro quodam, virtute ac ſapientia illuſtri nominantur, *Spumans Luxuria*, *Fervens Avaritia*, *Tumens Superbia. Hugo Cardin. in Lucam cap. 21.* ad hos gurgites & ſaxa frequentes *Vocationis* Religioſæ naviculam fregerunt, & perierunt: adversùs conſtantiam tuam nihil potuerunt; enavigâſti; portum intrâſti. Supereſt, quod olim à navigantibus factum, ut apluſtria Navis Religioſæ appenſis ſertis coronemus, & *aras* in littore, ac cætera pro-

 ſperæ

ſperæ navigationis monumenta ſtatuamus. Altera ara Iſaacum exhibet, in ſacrificali rogo jugulum paterno ferro nudantem. Epigraphe: *Voluiſſe ſat eſt*: altera Jephtiadem, cervice gladij paterni ictum excipientem. Inſcriptio: *Reddite vota DEO.* Aras adſtituamus tergeminam Pyramidem. Prima *Paupertati Sacra*, cujus emblema, Hercules cum Antæo luctans. Lemma: *Nudus ad luctam fortior.* Secunda dedicata *Obedientiæ.* Pictura; globus in abaco: lemma: *Quólibet impellas digito.* Tertia *Caſtitati* ſacrata. Pictura; Cygnus è fluvio Cayſtro in altum evolans; Adſcriptio; *Album mutor in Alitem.* Horat. Jam ipſæ quoque Pyramides ſymbolicè Religioſa Vota exprimunt, *Paupertatem* quidem, quia Pyramis, quò altior, hoc tenuior, cum lemmate: *Deficiendo ſubtilior*: hòc Paupertas Religioſa perfectior, quò ipſi plura deficiunt. Pyramis, ingenti mole ad faſtigium uſque erecta, uno denique lapide clauditur: *Lapis omnis clauditur uno.* Obedientiam ſignificat, cujus omnia dicta & facta, ad unius nutum & voluntatem *Superioris* referuntur. Pyramides Ægyptiæ tantæ ſublimitatis erant, ut nullam umbram projicerent; Caſtimoniæ claritatem indicant,
juxta

juxta illud Sap. 4. *O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate!* Adſcribe; *Umbræ neſcia.* Hîc ego ſubſtringo calamum, ne, dum epiſtolam ſcribo, panegyrin contexere videar; huc me deduxit virtus tua, & Religioſa conſtantia, cujus imaginem per Pyramidem exprimi oſtenderem, niſi figuris iſtis ſymbolicis plus quàm ſatis indulſiſſem. Et ecce jam obſignaturus eram has litteras, cùm ſupervenit P. Chriſtophorus Petrinus, collega meus, & vicinus cubiculi, parentis tui olim in ſcholis Præceptor; hic lectis, bona mea cum venia, quas ad te exaraveram, non mediocri ſolatio affectus eſt, ubi intellexit, te Religioſæ vitæ profeſſionem edidiſſe; juſſit ſalutem & gratulationem tibi plurimam ſcribere, & pro amœnitate ſui, quamvis ſenis, ingenij, hos verſiculos ex antiquo auctore deſumptos apponere.

Religioſus ſit

Turtur in Oratorio, ut jugiter gemat,
Philomela in Choro, ut devotè canat,
Pelicanus in Capitulo, ut ſeipſum roſtro lædat,
Pavo in Dormitorio, ut quietè incedat,
Grus in Locutione, ut dicenda expendat,
Aquila in Schola & ſtudio, ut oculos mentis intendat,

Columba in Itinere, ut lecta meditetur,
Accipiter in Prædicatione, ut Chriſto prædam capiat,
Paſſer in Refectorio, ut communia comedat.

Hæc ex annoſis, non carioſis Sanctæ ſimplicitatis tabulis, quarum hodie quoque uſus eſt, quotidianis exemplis confirmatus. Vale, & lætare, te catenam ferreæ voluntatis (ut Auguſtinus ait) quâ ligatus tenebaris, in nobiliora vincula mutâſſe, & cum ijs in libertatem filiorum DEI evolâſſe.

L.

GEORGIO CERVINO,

Nil admirari.

RESpondeo ad quæſtionem à te propoſitam, ad *Ethicæ* diſciplinam cumprimis ſpectantem; in hac enim potiſſima diſputatio agitatur inter doctos, quæ ſit illa naturalis beatitudo, de qua Philoſophi Veteres ac Recentiores magna ambitione, vel potiùs contentione diſputant. Antiquis placuit in tres maximè opiniones diſcedere. Quidam *beatum* dicunt hominem, omni affectu vacuum, & tanquam aliquam Ideam Platonicam, ab omni

omni ſenſu remotum. Alij beatitudinem in vacuitate doloris ac moleſtiæ ponunt, nullâ mentis vel corporis ægritudine interturbatâ. Alij in medio incedunt, & inter ſenſum ac conſenſum diſcrimen faciunt; felicitatem in Rationis dominio collocant. Miſſis reliquis Philoſophantium placitis, ſi, beatè vivere, eſt omni dolore ac moleſtia carere, quem tu mihi beatum dixeris, cùm nemo mortalium non debeat mortalia pati? Hîc verum eſt illud: *Homo ſum, & nihil humanum à me alienum puto*; communes patimur manes; virtutis cos eſt miſeria, dolor, & moleſtia. Quo te cunque verteris, non evitabis hanc neceſſitatem:

Non enim gaza, neque conſularis
Submovet lictor miſeros tumultus
Mentis, & curas laqueata circùm
Tecta volantes. Horat. lib. 3. Oda. 1.
Ibidem.
-- *Timor & minæ*
Scandunt eódem, quò Dominus: neque
Decedit ærata triremi, &
Poſt equitem ſedet atra cura.

Verè Seneca: *Non ſentire mala ſua, non eſt hominis; non ferre mala ſua, non viri.* Primitiæ vitæ noſtræ fletus eſt: primi flores la-

erimæ; hinc auſpicia ſumimus; primum lucis tributum eſt, adverſa ferre; atque hæc vectigalia per reliquas ætates pendenda ſunt; imaginaria ergo eſt hæc beatitudo, & extra mortalem conditionem poſita. Neque ſapientiùs philoſophati ſunt, qui beatitudinem naturalem in moderamine affectuum conſtitutam arbitrabantur; opus eſt hîc magnâ luctâ; crebrior recurrit pugna, rarior victoria, an hoc eſt beatum eſſe? de quo uſurpes illud;

Pugnare, ſtare, vincere,
Pugnare, ſtare, vinci.

At affectiones omnes exuere, id quidem pro Stoico figmento habendum; ſed hæc pluribus diſputare, non eſt hujus loci, nec chartæ. In fronte epiſtolæ beatitatem tibi apprecor, quia te *nil admirari* jubeo. Venuſinum vatem audi, Ethicè poëtantem. Is lib. 1. epiſt. 6. canit;

Nil admirari, propè res eſt una, Numici,
Soláque, quæ poſſit facere ac ſervare beatum.

Paradoxum hoc alicui videri poſſit, cùm admiratio ſit affectus maximè homini proprius; hunc humanæ naturæ adimere, quid ſit aliud, quàm eam evertere, cui non minùs peculiare, *ridere* & *admirari*, quàm equo *hinnire*?

Quid

Quid, quòd ipſa Philoſophia ortum habet ex admiratione; vulgato verbo dicitur; *Propter admirari cœperunt homines philoſophari*; quod idem de reliquis ſcientijs aſſerendum. Nam ratio, cur admiremur, eſt, quia cauſas rerum ignoramus; quibus cognitis ceſſat admiratio. Igitur ſcire cupimus, ut admirari deſinamus. Et cur homines rudes mirantur, ſi audiant ex Mathematicis, Solem eſſe centies & ſexagies majorem terrâ, cùm ipſis haud amplior, quàm ſeſquipedalis diſcus videatur; cauſa eſt ignorantia. Si enim cognoſcerent diſtantiam ſolis à terra, facilè inducerent animum, hòc minorem apparere, quò longiùs diſſitus eſt ab aſpectu. Exemplum vulgare in ruſticello quopiam ſume, qui è pago ſuo primùm egreſſus, pedem in urbem intulit. Hîc ei omnia nova, & incognita, ideóque mirabilia apparent: ædes, fora, fontes, templa, palatia, ſtrata viarum, incolarum diverſi mores & veſtes, & quidquid demum in oculos vel aures incurrit, in eo ſtupet, & mirabundus hæret. Non perinde alius ex eodem pago, qui ſæpius ruri in civitatem ſe conferens, ſæpius conſpexit & loquentes audivit oppidanos; pauca ei mirabilia, quia plera-

pleraque jam antè cognita. Ad Horatium redeo, cui ſuffragatur M. Tullius lib. 3. Quæſt. Tuſcul. ubi ait: *Hæc nimirum eſt illa præſtans & Divina Sapientia, perceptas & pertractatas res habere; nihil admirari, cùm accideret; nihil, antequam evenerit, non evenire poſſe arbitrari.* Idem lib. 4. ibid. *Quid enim videtur homini ſapienti magnum in rebus humanis, cui æternitas omnis, totiúſque mundi nota ſit magnitudo? nam quid aut in ſtudiis humanis, aut in tam exigua vitæ brevitate magnum ſapienti videri poteſt, qui ſemper animo ſic excubat, ut ei nihil improviſum accidere poſſit, nihil inopinatum, nihil novum?* Ridet Seneca tanquam pueros, qui rerum novitate capti, in admirationem trahuntur. Ejus verba tibi recito. *Quid inter nos & pueros intereſt, niſi quòd nos circa tabulas & ſtatuas inſanimus? Illos reperti in littore calculi læves, & aliquid habentes varietatis delectant; nos ingentium maculæ columnarum: ſive ex Ægypti arenis, ſive ex Africa ſolitudinibus advectæ, porticum aliquam, vel capacem populi cœnationem ferunt. Miramur parietes, tenui marmore inductos, cùm ſciamus, quale ſit, quod abſconditur: oculis*

lis noſtris imponimus. epiſt. 115. Sapientiſſimi Regis effatum eſt, *Nihil ſub ſole novum.* Eccli. c. 1. v. 10. cauſam ſubjungit. *Nec valet quiſquam dicere : Ecce hoc recens eſt : id enim præceſſit in ſæculis, quæ fuerunt ante nos.* Quid igitur admiramur tanquam nova, quæ ſunt vetera ? Omnia cum tempore eunt, atque prætereunt; præteritis ſuccedunt præſentia, & his futura:

--- *Nempe omnia, quæ nunc*
Miramur, priſcis ea viſa, auditáque ſæclis.

Et Horat. de Arte Poëtica:

--- *Mortalia facta peribunt ;*
Multa renaſcentur, quæ jam cecidêre, cadéntque,
Quæ nunc ſunt in honore.

Sapienter noſtri ævi Hiſtoricus: *Humanis in rebus ſæcula ac perſonæ intereunt, cauſſæ & eventa eadem recurrunt.* Ergo rectè Horatius aſſerit, viro ſapienti nihil admirandum eſſe. Illud potiùs habet controverſiam, cur beatum efficiat, qui nihil miretur. An verò ideo beatorum ac felicium quis in numero reponendus, qui mare navigans (exempli gratiâ) prævidit tempeſtatem, certiſſimo interitu navim, vectoréſque involuturam ? an beatus, qui præſagijt, hoſtem ar-

mis

mis & conſilijs prævalentem, ingentem patriæ cladem illaturum, & omnia evaſtaturum? at non miratur: an ideo expers miſeriæ? Si Horatio fidem adhibemus, beatus eſt, quia nihil ei repentinum, nihil non proviſum, & proſpectum, adeóque nihil mirabile. Sed num ſede morantur in una, miſerum & beatum eſſe? an præviſio & præcognitio faciunt, ut malum non ſit, quod conſtat naturæ adverſum & calamitoſum eſſe? an præmeditatio animos addit, ut nihil aut parùm ſentiatur, quod ferendum eſt? cùm è contrario, juxta eundem Poëtam, qui pectus non præparavit rebus duris & perpeſſu gravibus, abjectus & deſperatus jaceat, nec ſe erigere poſſit; quod illi accidit,

Qui quidquid vidit, melius, peiúsve ſua ſpe,
Defixis oculis, animóque & corpore torpet.

Qui ſcilicet fixis attonitus hæret oculis, nec præ admiratione ſatis capit fortunam, cùm indulget, nec ſatis averſatur, cùm premit; hinc animi, corporiſque torpor & abjectio. Id quod videmus in navigantibus, qui nec ſecundis, nec adverſis ventis nôrunt vela pandere; præſertim ſi quævis inopina mirantur, & intus patiuntur turbines, à quatuor

tuor plagis flantes, hoc eſt, quatuor perturbationes animi, de quibus Poëta:

Gaudeat, an doleat: cupiat, metuátve.

Nihil intereſt, an ſimul ab his ventis infeſtetur, an ab uno impetatur; an lætiora admirando ſinat ſe occupari improbo *gaudio*, an fractus *dolore* triſtibus cedat, quæ *miratur*, *& odit*; an, quæ excitant admirationem, *cupiat* & deſideret ſibi obtingere, nec prius quieſcere poſſit; an inſtantium malorum ſpecie agitatus, palleſcat metu, & obſtupefactus obtutu hæreat defixus in uno. Itaque, qui cupit, admiratur, & qui timet, admiratur; ſed non eodem modo. Nam qui cupit, ita admiratur, ut id, quod admiratur, expetendum eſſe exiſtimet; qui metuit, fugiendum eſſe. An non igitur beatum & felicem dixeris, qui ſe ventis tam diverſis jactandum non permittit? qui nec gaudio inani effertur, nec cupiditate ſiniſtra abripitur, nec timore deijcitur, nec dolore diſſolvitur? Quod cæteri metuunt, dolent, cupiunt, quô gaudent, ipſe in animum non admittit, malaciam pectoris turbari non ſinit, quia nihil ei novum & repentinum, ideóque nec admirandum accidit. Periclem aliquem cogita, cujus conſtantiam nec cœli

minæ

minæ vel ruinæ concuſſiſſent. De talibus viris loc. cit. noſter Horatius:

Hunc Solem, & ſtellas, & decedentia certis
Tempora momẽtis, ſunt qui formidine nulla
Imbuti ſpectant.

Fortè navi vehebatur Pericles Dux Athenienſium, cùm repentè cœpit Sol deficere, & ecclipſin pati. Subtractionem ſolaris luminis cæpit primò mirari gubernator navigij, denique ad inſperatam obtenebrationem, velut exanimis, concidere. Hunc metum ademit ei Pericles, oculis navarchi pallio injecto & oppanſo, cum dicto, ita ſolis defectionem contingere, Lunæ inter Solem & terram interpoſitu. Deſijt alter mirari, & formidare. Hæc tuâ gratiâ per modum epiſtolæ commentatus ſum, in duos verſus Horatianos; *Nil admirari* &c. unde videas, quàm latè pateat Ethicæ ſtudium, & Epiſtolare ſtadium, in quo conceſſum eſt decurrere cuicunque ſcribendi generi, modò obſervetur, ne ſupra familiare colloquium (de hoc enim agimus; aliter loquuntur Dij & Semidij) attollatur dictio, & jam in Rhetoricos, jam Hiſtoricos campos liberiùs excurrat: ne figuris & tropis Poëticis involvantur audaciùs ſenſa, quódque planum oporteret eſſe, altiùs in colles aſſurgat: quod clarum & perſpicuum, in

ob-

obſcuritatem deprimatur. Muſis inſigniter probabis tuam induſtriam, ſi meliores & acutiores quaſdam ſententias è Circo Poëtico ſelegeris, & vel in orationem proſam Παραφραστικῶς converteris[1], vel etiam commentariolo illuſtrâris; experieris nec verba, nec rem, verba ſequentem, tibi defuturam; blandiùs cum numeris illabitur Ethica; mirabe-ris te Philoſophum ex Helicone deſcendentem. Sed num ideo non eris beatus, quia *miraberis?* Eſt quædam admiratio non ad incognita ſtupentis, ſed cognitorum fructum experientis; quæ qualis ſit, tibi nondum explicavi. Jubet me finire Epiſtolarem Ethicam numerus *Quinquageſimus*, jam in alijs lucubrationibus mihi ſolennis; annus, quo hæc ſcripſi & abſolvi, mihi jam tertiùm *Jubilæus* eſſet, niſi trieteridem deſiderarem. Quid? an ego tantillum ætatis ſpatium deſiderem, quem loco *Jubilæi* exſpectat beata, quod ſpero, ÆTERNITAS, cui hactenus calamus meus laboravit? ad Æternitatis poſtes emerita nunc arma ſuſpendo, & tibi, amicóque harum epiſtolarum Lectori valedico Horatianâ clauſulâ:

Vive, vale; ſiquid noviſti rectius iſtis,
Candidus imperti; ſi non, his utere mecũ.

Index Materiarum.

A.

Abneri & Joabi deteſtabilis luſus. 58

Ad DEUM, velut Principium, identidem tendendum. 132

Adhortatio ad diligens ſtudium. à fol. 136

Admiratio eſt effectus Ignorantiæ. 395

Adoleſcentûm in bono inconſtantia. 72

Advocatorum abuſus & Vitia. 191

Eorundem officium & dignitas. 189

Ædificij deſcriptio. 356

Ægri lamenta. 205

Ægritudines generosè ferendæ. 212

Æſtimatio ſuiipſius vitioſa. 346

Æterna ſolùm ſpectanda in Electione Statûs. 36

Affectus inordinati affligunt. 328

Afflictiones docent orare. 131

Earum utilitas. 296

Afflicti ſolatium. à fol. 293

Agape Veteribus quid? 229

Alexandri Mag. notabile dictum. 370

Amicitia, inter Vitra inita, eſt vitrea. 32

Amicitia, malè inita, citò diſſolvenda. à fol. 61

Amicus *alter Ego*. 63

Amoris inordinati tortura. 332

Amphion ſaxa cantu movet. 22

Animi remiſſio neceſſaria. à fol. 55

Annu-

Annularis digitus. 112
Annulus ſponſalitius. Ibid.
Annus quot habeat horas, quadrantes, minuta. 117
S. Antonius quomodo vicerit tentationes. 91
Anxietas de Prædeſtinatione. 89
Apathia Stoicorum. 294
Apparatus menſarius. 235
Aquarum diverſæ proprietates & effectus. 246
Arioni modulanti Delphinus ſe ſubſternit. 22
Ariſtodemi metus & diffidentia. 331
Arthritis. 208
Artis Medicæ præſtantia. *à fol.* 178
Aſtræa Juſtitiæ imago. 187
Avari deſcriptio. 258
Avaritiæ damna. 304. 311
S. Auguſtini ſenſus de cantu Eccleſiaſtico. 24
Ejus Confeſſionum liber commendatur. 65
Aulicæ vitæ difficultates. 372
Aulici inſtructio. Ibid.
Authoris judicium de Epiſtolis Ciceron. Plin. & Senec. 3

B.

Beatitudo hominis in quo conſiſtat. 393
Bellorum utilitas. 16
Bibliothecæ deſcriptio. 356
Bivium Herculis. 34

C.

Caini ſcelus detectum. 225
Ejus dolor ex animi perturbatione. 327
Caligulæ horror tonante cœlo. 338

Calumniæ imperitorum adversùs Latinam linguam. 39
Cantus Eccleſiaſticus. 24
Caput Gorgonis. 59
Caſtimonia jungenda formæ corporis. 153
Caſtitatis Religioſæ ſymbolum. 390
Catonis dictum, trium ſe pœnitere. 312
Cautelæ politicæ. 368
Cerberi offa. 195
Chiragra. 208
Cholerici deſcriptio. 83
Chriſtus è Cruce pendens gratias agit vindictam condonanti. 85
Ciceronis epiſtolæ. 2
Clerici malè viventes. 37
Clinici, qui? 206
Commercij epiſtolaris utilitas. 1
Commune vitium, inhiare bonis alienis, ſua non nôſſe. 158
Concordia Conjugum. 110
Ejus conſervandæ medium. 268
Conjugia infauſta. 37
Conjugii bona ſymbolicè repræſentata. *à fol.* 108
Conjugum mutua officia. 270. 272
Conſcientia bona. 339
Præſtat omnibus mundi bonis. 157
Conſcientia mala, etiam inter epulas inquieta. 230
Conſilia non ſunt æſtimanda ab eventu. *à fol.* 312. 318
Conſiliariorum Officium & Dignitas. 189. 196
Contemptus mundi. 388

Contradictiones apparentes Sacræ Scripturæ. 274
Convivij deſcriptio. *à fol.* 235
Ejus Leges. 240
Corpus humanum officina miſeriarum. 324
Plures aliæ Ejuſdem comparationes. Ibid.
Correctio æquo animo accipienda. 342
Facienda cum manſuetudine. 286
Corruptela morum ex pravis exemplis. 162
Credulitas nimia vitioſa. 339
Cultus DEO gratiſſimus, patientia in morbis. 212
Cupiditas habendi affligit. 329
Cura triplex, viſenti exteras regiones neceſſaria. 377
Curioſitas noxia in negotio Prædeſtinationis. 96

D.

Damna ex incendio. 292
David ope artis muſicæ Saulem obſeſſum liberat. 22
In morbo filij luget, in morte lætatur. 124
Dæmonum fallaces illecebræ. 71
Inania eorum terriculamenta. 91
Defectus mutuò tolerandi. 168
Defuncti pijs ſuffragijs juvandi. 126
Degeneres filij optimorum parentum. 74
Delatoribus non citò credendum. 289
Deliberatio de ſtatu vitæ eligendo. *à fol.* 33
Num dandum nomen Militiæ. *à fol.* 11. 76
Num expediat Juvenibus peregrinari. *à fol.* 47

Demiſſio & modeſtia conciliant hominum animos, 380
DEO gratiſſimus cultus Patientia, 212
Deſcriptio pulchrarum ædium, 356
Convivij. à fol. 235
Hominis cholerici, 83
Juvenis comptuli ac vani, 148
Mulieris iracundæ. 291
Prædij. 234
Uxoris malæ, 265
Deſperandum non eſt de Juvenibus vitæ diſſolutæ. 75
DEUS neminem reprobat poſitivè. 94
Dictum notabile Metelli Conſulis Romani. 16
Diei natalis gratulatio. à fol. 115
Diligentia neceſſaria Patrifam. 260
Diogenis dictum de Ebrioſo. 256
Percutit pædagogum, dum videt puerum indecorè agentem. 170
Divitiæ feſtinatæ caducæ, 308
Senſim paratæ durant. Ibid.
Eas parandi modus. 260
Doli & fallaciæ Aulicorum. 366
Dolores aut tolerabiles, aut breves. 211
Generosè ferendi. Ibid.
Dolor ex morte charorum juſtus. 122
Dionyſij Lambini judicium de Epiſt. Ciceronis. 2
Dionyſij ſiculi metus & diffidentia, 330

Ebrie.

E.

Ebrietatis damna. 242. 256. 381.
Ecclipſis. 400
Educationis bonæ fructus. *à fol.* 161. & *à fol.* 246
Electio Statûs. 33. 202
Epiſtola prodit genium ſcribentis. 6
Epiſtolaris commercij utilitas. 1
Epiſtolarum varij ſcriptores, & judicium de ijſdem. 2. 3. 4
Epiſtolis brevis, an fuſior ſtylus conveniat. 8
Epulæ moderatæ inter amicos laudabiles. 231
Equi calcato lupi veſtigio torpent ac tremunt. 30
Equus Trojanus. 215
Examen Conſcientiæ. 290
Excuſatio modeſta. *à fol.* 349
Exempla filiorum degenerum. 74 246
 Virorum fortium in adverſis. *à fol.* 298
Exempla mala corrumpunt mores. 162. 171

F.

Fabij, Aſinnij, Porcij, Lentuli &c. unde dicti? 219
Fabula de certamine Muſarum cum Sirenibus. 7
 De Olla ænea & teſtacea. 31
 De Aſino & equo. 159
 De Vulpe, Cane & Patrefam. 262
 De Podagra & Aranea. 208

Faciliùs mali inter malos, quàm boni inter bonos fiunt. 28
Fallaces dæmonum illecebræ. 71
Feminarum loquacitas, 313
Feminæ naturâ proniores ad Iram. 291
Fiducia in DEUM, efficax in tentatione remedium. 91
Filij Matri plerumque, quàm Patri ſimiliores. 244
Cur tenerior ergo illos amor Matrum, quàm Patrum. 250
Flos Hemerocallis dictus. 152
Fontium & fluminum diverſæ proprietates. 246
Formæ corporis jungendus eſt decor Mentis. 150
Forma corporis eſt magnum DEI donum, 149
Sed fragile. 151
Nil valet ſine virtute, 150
Formulæ fauſtarum apprecationum, 119
Fortitudinis inter dolores exempla, 326
Fortuna mediocris cum bona conſcientia præſtat divitiis. 157
S. Franciſcus Seraph. mirus æſtimator Sacerdotij. 104
Unum è ſuis moroſioris naturæ *Fratrem Muſcam* appellat. 145
Fraudes negotiatorum, 309

G.

Ganymedes ſervitutis Aulicæ ſymbolum. 365
Garrulitas noxia. 338
Gaudij & Luctûs continua viciſſitudo. 297
Germana ſinceritas. 217

Ger-

Germaniæ Vet. & Novæ diſpares mores. 48
Germanorum Vet. modus educandi juventutem. 47
Goliathi jactantia punita. 279
Gonagra. 208
Gorgonis caput. 59
Grammatica iniquè vapulat ab indoctis. 39. 43
Gratulatio diei natalis. *à fol.* 115
Novi anni. *à fol.* 127
Nuptiarum. *à fol.* 106
Profeſſionis Religioſæ. *à fol.* 385
Sacerdotij. *à fol.* 100
S. Gualbertus vindictam condonat. 85

H.

Herbarum virtus. 178
Hercules cum Antæo luctans, ſymbolum Paupertatis. 390
Herculeus, vel Gordius nodus. 283
Herculis bivium. 34
Herodis aſtutia deluſa. 225
Heroum filij noxæ ? & cur? *à fol.* 243
Hilaritas honeſta ſuadetur. *à fol.* 54. 144
D. Hieronymi in ſciolum invectiva. 280
Hiſtoria de Damocle ad menſam Dionyſij Regis invitato. 230
Hominis tetrici deſcriptio. 143
Hominum deſideria ſæpe pernicioſa. 128
Hominum proprium, admirari. 394
Homo animal ſociabile. 145
Horologij rotati ad mores applicatio. 130

I.

Jactantiæ vitium. 340
Janus bifrons, ſymbolum bonæ Electionis. 37
Jephtias ſymbolum Religioſæ Profeſſionis. 390
Imagines ſtriatæ. 213
Imperiti diſputatores. 276
Impij frequenter feliciores juſtis. 293
Inconſtantia in bene cœptis. 386
Inconſtantia in vocatione Religioſa. *à fol.* 66
Inconſtantia Juvenum. 73
Indolem Nationis imitatur loquela. 6
Indulgentia nimia Matrum filijs perniciosa. 249
Infauſta conjugia. 37
Infirmus, ſimul eſt Sacerdos, Ara & Victima. 212
Ingreſſus ordinis Religioſi. 387
Inſignia Nobilitatis, unde? 16
Intemperantia in potu. 381
Invectiva in deſidem ſtudioſum. *à fol.* 137
Joabi & Abneris deteſtabilis luſus. 58
S. Joannis Evangeliſtæ cum perdice luſus. 55
Iracundæ mulieris deſcriptio. 291
Iracundiæ refrænatio. 208
Ejus Victoria glorioſa. 84
Indomitæ damna. 86
Moderata, eſt Cos fortitudinis. 84
Primi ejus motus compeſcendi. 87
Remedium Auguſto Cæſari à Philoſopho datum. Ibid.
Iſchias morbus. 208

Judi-

Judicum dignitas & officium. 189. 195
Eorum abuſus & vitia. 193
Juliani impietas à cæco caſtigata, 281
Juriſprudentiæ ſtudium, an ſuadendum? *à fol.* 186
Ejus laus. Ibid.
Juſtitiæ ſymbolum, 187
Juvenibus prava ſocietas vitanda. *à fol.* 26
Juvenis comptuli, & vani deſcriptio. 148
Meritum ejus encomium. 43
Juventutis educandæ modus antiquus Germanorum, 47

L.

Laconicus ſtylus num conveniat Epiſtolis. 8
Lactari à peccatoribus, quid? 29
Lactis materni vis in prolem, *à fol.* 246
Laus Juriſprudentiæ. *à fol.* 186
Latinæ Linguæ, *à fol.* 41
Patientiæ. *à fol.* 295
Vitæ militaris. *à fol.* 13
Leo ſymbolum vigilantiæ. 260
Libanij de Chriſto ludicrè loquentis petulantia caſtigata. 281
Liber Confeſſionum S. Auguſt. ſuadetur, 65
Libri peſtilentes. 362
Libri Salomonis de Arte Medica, 179
Librorum multitudo, an paucitas præoptanda. *à fol.* 357
Litera Pythagoræ Y. 35
Logica comparatur cum teſta ovi. 6

Loqua-

Loquacitas feminarum. 313
Luctûs & Gaudij continua viciſſitudo. 217
Luctus in funere unici filij. *à fol.* 121
Luctus parentis ob filium immorigerum. *à fol.* 72
Lyra Arionis inter aſtra ſuſpenſa. 22

M.

Machiavellus, quis? 222
Ejus axiomata. Ibid.
Mária totius mundi. 208
Mala pravæ Societatis. *à fol.* 26
Mali Clerici. 37
Manſuetudinis laus. 285
Mariti querelæ contra uxorem. 265
Matrimonij incommoda. 267
Medicæ artis præſtantia. *à fol.* 178
An Ejus ſtudium ſuadendum. Ibid.
Medici debent eſſe omnigenâ ſcientiâ inſtructi. 182
Immeritò multorum dicterijs vapulant. 184
Mediocritas in ceteris aurea, plumbea in doctrina. 135
Memorabile factum dictúmque Uxoris Regis Armeniæ. 113
Mercaturæ laus, utilitas. *à fol.* 303
Ejus pericula. 309
Metelli Conſulis Rom. dictum ſapiens. 16
Meum ac *Tuum* bellorum cauſa. 12
Midæ ſtulta avaritia. 310

Mili-

Militaris Vitæ laus. 13. & ſeq.
Ejus vituperatio. 11. 77. & ſeq.
Militiæ & Malitiæ modica differentia. 77
Modus in correctione adhibendus. 289
Momentum vitæ ultimum maximi momenti. 119
D. Monica lacrimis filium Auguſtinum ſervat. 67
Morbi moleſtiæ. 322
Morbi podagrici diverſi nominis. 208
Morborum variæ ſpecies. 323
Moroſitas in converſatione vitanda. 239
Morum corruptela ex mala educatione. 161
Mulieris iracundæ deſcriptio. 291
Mundi contemptus. 388
Muſarum cum Sirenibus certamen. 7
Muſica arte clari, Ejúſque æſtimatores. 23
Muſicæ & Muſicorum vituperatio. 19. 20
Muſicæ Laus. *à fol.* 21
Myſteria noſtræ Religionis cum magna reverentia tractanda. 199

N.

Natalis diei gratulatio. *à fol.* 115
Nationis indolem exprimit modus loquendi. 6
Nationum diverſarum vitia. 327
Navigatio eſt vita hominis. 38. 386
Nec temere, nec timidè agendum. 319
Negotiatio ſacra. 311
Negotiatorum fraudes. 306

Nemo immunis ab adverſis. 194
Nobiles facti è plebeijs. 219
Nobili Juventuti an peregrinandum. 47
Nobilitas triplex. 215
Nobilitas, unde dicta? Ibid.
Nobilitatis Laus. *à fol.* 216
Sine virtute nihil eſt. 217
Nodus Gordius vel Herculeus. 283
Novitij Religioſi adhortatio ad conſtantiam. *à fol.* 66
Nuptiarum gratulatio. *à fol.* 106
Nutrices eſſe bonas, quantum interſit. 247

O.

Obedientiæ Religioſæ ſymbolum. 390
Objurgationes moderandæ. 286
Opportunè adhibendæ. 287
Oeconomicæ Regulæ. *à fol.* 254.
Offa Cerberi. 195
Omnes vili volunt emere, carô vendere. 305

P.

Pallas Sapientiæ ſimul & Militiæ Præſes Dea. 16
Paralyſis. 208
Parentis cum filio expoſtulatio. 337
Parentis luctus ob filium immorigerum. 72

Parentum negligentia in educatione liberum. 252
Parſimoniæ Virtus. 258
Paſſiones graviſſimum animi tormentum. *à fol.* 337
Patientia, optimum Podagræ remedium. 210
Ejus Laus. *à fol.* 295
Patres infelices. 246
Patrifamil. obſervanda Pocula, Loculi, Oculi. *à fol.* 256
Neceſſaria illi Vigilantia & Diligentia. 260
Pædagogi, & morum Præfecti, quales eſſe debeant. 166. 168. & ſeq.
Quantum illis debeatur. 169
Debent ſe gerere, ut Cytharædus, Pictor, Hortulanus, Nauclerus. 172
Eorum incuria filijs pernicioſa. 253
Paucitas ſalvandorum. 94. 97
Paupertatis Religioſæ ſymbolum. 390
Peregrinationes in exteras Regiones pericoloſæ. 48. 374
Sed valde utiles. *à fol.* 50. 384
Peregrinaturo neceſſaria cura Animi, Corporis, & Fortunarum. 377
Perfidia nemini diu profuit. 226
Philoſophiæ cum ovo comparatio. 6
Ejus Laus. Ibid.
Pietas Aulicis maximè neceſſaria. 369
Piger vult, & non vult; quomodo? 141
Pigri cur aſino comparentur. Ibid.
Pigritiæ mala. 138

Digitized by Google

Plebeiæ ſortis homines ad magnam nobilitatem eluctati. 219
Plinij Epiſtolæ. 3
Plures Catholicos ſalvari, quàm damnari. *à fol.* 97
Poculum Ciceronis. 219
Podagra. 206
Ejus diverſæ ſpecies. 208
Etiam Sanctiſſimi eâ laborârunt. 209
Remedium à Carolo V. præſcriptum. 210
Politici nomen infame. 221
Politicorum indoles & mores. 222. 223
Similes ſunt Polypo & Chamæleonti. 224
Poteſtas Clavium, quanta? 101
P. P. P. triplex neceſſarium ad bonum ſtatum Communitatis. 164
Prava ſocietas Juventuti pernicioſa. *à fol.* 26
Prædeſtinatio non obeſt libertati humani arbitrij. 95
Præſtantia Artis Medicæ. 103. 199.
Præſtétne callere Muſicam, an ignorare. *à fol.* 19
Primi motus iracundiæ compeſcendi. 87
Primitiarum gratulatio. 100. 115.
Principum gratia, bonum fragile. 370
Procuſtis Latronis crudelitas. 361
Profeſſio Religioſa. *à fol.* 385
Promotionum difficultas. 134
Proſperitas multis noxia. 301
Proverbium commune, *aurea mediocritas*, fallit in doctrina. 135
Pro-

Proverbium commune, *Aurea mediocritas*, fallit in doctrina. 135
Providentiæ Divinæ adſcribendi caſus adverſi. 300. 316
Pſeudopolitia noxia. *à fol.* 224
Pueritia prima rectè inſtituenda. 165. 169
Puritas Sacerdotibus neceſſaria. 103. 199
Pythagoræ litera. 35

Q.

Querela adversùs famulos & ancillas. 284
Querela hominis inter ærumnas. 293
Querelæ mariti adversùs uxorem. 265
Uxoris adversùs maritum. 266

R.

Recreationes ſint moderatæ, non diſſolutæ. 157
Regulæ Oeconomicæ. *à fol.* 254
Religioſi hominis officium. 391
Rixæ & jurgia cavenda. 379
Romani, quàm moderati in potu. 236
Rotæ cum vita noſtra comparatio. 296

S.

Sacerdotum dignitas. *à fol.* 100. 198.
Debent eſſe Lucerna ardens & lucens. 104. 200

Gra-

Gratulatio Sacerdotij. *à fol.* 100
Salomonis libri de Arte Medica. 179
Salvandorum paucitas. 94. 97
Sancti etiam Viri podagrâ laborârunt. 209
Sancti militiâ celebres in Vet. Teſt. 13
In Novo. 18
Sanitatis bonæ pretium. 129. 180
Sapiendum, ſed ad ſobrietatem. 147
Sapienti nihil in rebus humanis admirandum aut magnum. 396
Sapientis eſt, non turbari incertis rerum eventibus. 316
Scholarum neglectus pernicioſus Reipublicæ. 163
Scopuli Virtutis. 308
Scriptores Epiſtolarum. 4
Scriptores heterodoxi. 360
Scriptura Sacra, num ſit obſcura, vel clara. 273
Scrupuli conſcientiæ. 93
Senecæ Epiſtolæ. 3
Earum ſtylus. 5
Seductionis pericula juventuti cavenda. *à fol.* 26. 162
Simij Tulliani. 5
Similis ſimili gaudet. 28
Sinceritas Germana. 227
Sirenes ſunt voluptates. 388
Societatis pravæ fructus. 61. 62
Solatium afflicti. *à fol.* 293
Ægroti. *à fol.* 322
In morte charorum. *à fol.* 123

Sponſæ bonæ requiſita & proprietates. 107
Status vitæ cautè eligendus. *à fol.* 174
Statu ſuo quivis contentus eſſe debet. 159
Stoicorum apathia. 294
Stultus, quis à S. Scriptura dicatur. 275
Stylus Epiſtolaris num debeat eſſe Laconicus. 8
Symbolum Caſtitatis, Paupertatis & Obedientiæ. 390
Symbolum moderati rigoris. 288
Sympoſiaci ſermones, qui? 213

T.

Temperantia in potu. 236
Tentationibus generosè reſiſtendum. 69
Quomodo eas vicerit S. Antonius. 91
Tetrici hominis deſcriptio. 141
Theologiæ ſtudium & præſtantia. *à fol.* 197
Thraces natalem ſuorum fletu, diem obitûs riſu celebrant. 120
Thraſonis ſeu jactabundi deſcriptio. 278
Timor Divinorum judiciorum ſalutaris. 97
Timoris & diffidentiæ immodicæ exempla. 331
Triſtitia & afflictio animi omni morbo corporis gravior. *à fol.* 325
Eſt Aquila Promethei. 327
Eſt fugienda. 59. 144

Typographiæ commoda & incommoda. 357
Tyranni nomen, unde? 221

V.

Veritatis & Mendacij diverſa indoles. 361
Via Virtutis & Voluptatis. 35
Viciſſitudo continua Gaudij & Luctûs. 297
Vigilantia neceſſaria Patrifam. 260
Violatio datæ fidei nunquam diu felix. 226
Viri ſancti à re militari celebres in Vet. Teſtam. 13
In Novo. 18
Viri Muſica arte clari. 23
Virtus herbarum. 178
Virtutis ſcopuli. 388
Vis boni exempli. 68
Vita Conjugum eſt Jugum. 267
Vita hominis eſt Navigatio. 38
Vitæ humanæ cum rota comparatio. 296
Vitæ momentum ultimum maximi momenti. 119
Vitæ ſtatus prudenter eligendus. *à fol.* 174
Vita longa magnum DEI beneficium. 117
Vita militibus vilis. 80
Vita Religioſa eſt perpetua pugna. 70. 90
Vituperatio Muſicæ & Muſicorum. 19. 20
Vituperatio Vitæ militaris. 11
Ulyſſis ingenium ad dignoſcendum Achillem ſub puellari habitu latentem. 291
Voluptatum ſymbolum Sirenes. 382
Vota & deſideria mortalium ſæpe pernicioſa. 128

Voto-

Votorum Profeſſio, *à fol.* 385
Urbis vel alterius communitatis bonus ſtatus, unde agnoſcatur, 164
Utilitas ærumnarum, 296
Utilitas commercij Epiſtolaris, 1
Utilitas peregrinationum per exteras Regiones, *à fol.* 50
Vultures togati, qui? 192
Uxor bona rarum & magnum bonum, 106
Uxorum querelæ adversùs maritos, 266

X.

Xenij loco Veteres fere dabant dulciaria, 127

Y.

Y, Litera Pythagoræ, 35

Z.

Zelotypia, 378
Zodiaci ſigna ad mores applicata, 118

FINIS.

A01 1454463

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google